DE SCRIPTORE LIBRI

ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM
MARBURGENSIS

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET DIE [illegible] MENSIS JULII ANNI MDCCCXLIX

UNA CUM THESIBUS ANNEXIS

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS BUCHENAU,
HASSO - CASSELLANUS.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.

MDCCCXLIX.

THEODORO BERGK,

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO.

Nullum fere totius antiquitatis monimentum, cujus memoria per longam annorum seriem interciderat, post factam litterarum restitutionem tanto studio tantoque amore curam in se virorum doctissimorum convertit, quam egregia commentatio, *de Sublimitate*[1]) orationis composita Cassiique Longini nomine pervulgata. Neque enim fieri potuit, nisi singulari quadam cura atque provisione fortunae, ut liber hic, cujus omnem notitiam ipsa antiquitas perdidisse videatur, nihilo secius tribus his ante saeculis redierit in hominum non solum memoriam, sed etiam manus[2]). Quod etsi prosperrime acciderit commentario excellentissimo, tamen simul iniquior sors illud nobis concessisse nequaquam voluit, ut pateret fons, de quo tanta eruditio tantaque in rebus dijudicandis subtilitas divinaque

1) *Περὶ ὕψους*, *de sublimitate*, titulus, quo praeter Caecilium Calactinum (cf. *Π. Υ.* sect. I, 1) nostrumque scriptorem nemo usus videtur esse, quamvis plerique, qui de optimo dicendi genere sermonem instituerunt, non silentio praeterirent hanc orationis grandidatem eique multum in eloquentia tribuerent (Cic. Orat. cp. 27), ita ut Quintil. sub finem institt. oratt. illam ut summam oratoriam artem commendaret. (Quint. inst. or. XII. extr.) Sed nonnulli etiam extiterunt, qui aperte negarent, omnino dari posse praecepta disciplinamque sublimitatis, quippe quae una cum homine ipso gignatur; a quibus scriptor suam institutionem longius defendere studet per sect. II. De definitione et synonymis verbi ὕψος videas, quae Weiske in ed. sua pg. CXVIII sqq. et CXXIV sqq. accuratius disputat.

2) Codex primarius in Paris. bibl. servatur; edd. prr. duae sunt: Franc. Robortelli. Basileae 1554. et Paul. Manutii. 1555. Venet.

paene sapientia emanasset. Etenim quisnam hoc ingenii sui monimentum reliquerit, nondum ad hunc usque diem exploratum habemus, quum is, cui etiam nunc tribui solet commentarius, nullo modo, quod in sequentibus probare quam firmissimis argumentis in animo est, hujus libri fuisse scriptor possit. Illis autem temporibus, quae nostrum saeculum proxime antecesserunt, de hac re controversia nulla habebatur, quoniam homines critici ad unum omnes [1]) Cassium Longinum, philosophum ad rhetorem Aureliano imperatore, confecisse librum περὶ ὕψους eo magis censuerunt, quo non solum totius antiquitatis silentium, sed etiam praecipui cod. Par. auctoritas, Longino assignare commentarium videbantur. At posteaquam Hieron. Amati Italus [2]), vir doctissimus summaque in rebus criticis auctoritate, primum addubitare de libro ausus est, num vere sit profectus ab Longino illo tertii saeculi, an potius a prioris aevi homine, statim viri docti in partes dissesserunt, hi retinentes, illi recusantes Longinum Cassium rhetorem. At vero adhuc haec eruditorum rixa ne aliquantulum quidem profecit, quum nemo, quod in tanta libri celebritate jure exspectabatur, disquisitione diligentiore animos omnium aut in Longinum aut in alium quendam argumentorum vi atque auctoritate aut imo verisimilitudinis specie inflexisset. Weiskius enim, qui postremo optimeque librum edidit [3]) multisque auxiliis criticis

1) Inter quos memoratos volumus Paul. Manutium, Holstenium, Morum, Ruhnkenium, Boileavium, Wolfium, Boissonade, de quorum nonnullis postea.

2) In epistola, quam a. 1809 ad Weiskium misit, quem cognoverat editionem Longini parare; quae epist. typis expressa est in ed. Weisk. p. 213 sqq.

3) Dionysii Longini de Sublimitate graece et latine. Denuo recensuit et animadversionib. viror. doctor. aliisque subsidiis instruxit Benjamin Weiske. Lipsiae 1809. Quae editio, si cum aliis comparaveris, absolutionem quandam assecuta est, quamquam graviores res saepissime negligentius, quam decebat, disputaret; cf. adnot. ad sect. III, 5 (de Theodoro); IX, 9 (de Mose); XIII, 3 (de Ammonio), alia. *Eggeri* editionem (Parisiis 1837), quamvis tempore recentiorem, non memoravi, quod Weiskianam magis repetat, quam nova quaedam in medium proferat.

instruxit, Amatii epistolam supra memoratam sero accepit, quam ut in editione sua, jam tum typis submissa, rem accuratius potuisset inquirere; atqui obiter tantum memorata Amatii dubitatione, qua illum sibi ipsi persuasisse profitetur, mors praematura eum impedivisse videtur, quominus critica subtilitate originem libri disceptaret. Tali modo controversia haec, cujus opus putandus sit egregius liber περὶ ὕψους, intacta fere in nostras manus pervenit, quibus magis voluntatem eam dijudicandi, quam facultatem inesse nemo magis, quam ipse ego compertum et intellectum habeo.

Quae quum ita sint, primum quaerendum erit, quomodo fieri potuerit, ut doctissimorum consensus fere virorum usque ad quadraginta abhinc annos commentarium περὶ ὕψους Longino assignaret, quamvis, quod bene notandum erit, veterum scriptorum nemo eum inter Longini opera recensuisset, nemo omnino ne verbo quidem memorasset. Suidas [1]) enim quique alii [2]) de Longino rhetore verba faciunt scriptaque illius enumerant, celeberrimi hujus περὶ ὕψους, quod certe debuerant, mentionem non faciunt. Verum enimvero ab illo temporis momento, quo reperiebatur simulque inclaruit liber, statim omnes a Longino oriundum fuisse voluerunt. Atque adjumentum satis magnum iis erat inscriptio codicis antiquissimi, qui temporum iniquitates evitavit, Parisina in bibliotheca servati.

---

1) Suidas s. v. Λογγῖνος ὁ Κάσσιος, φιλόσοφος. διδάσκαλος Πορφυρίου τοῦ φιλοσόφου. πολυμαθὴς καὶ κριτικὸς γενόμενος· ἦν δὲ ἐπὶ Αὐρηλιανοῦ τοῦ Καίσαρος καὶ ἀνῃρέθη ὑπ' αὐτοῦ, ὡς σύμπνους Ζηνοβίᾳ, τῇ Ὀδηνάτου γυναικί. Ἔγραψε περὶ τοῦ κατὰ Φειδίου. ἀπορήματα Ὁμηρικά. εἰ φιλόσοφος Ὅμηρος. προβλήματα Ὁμήρου καὶ λύσεις ἐν βιβλίοις β'. τίνα παρὰ τὰς ἱστορίας οἱ γραμματικοὶ ὡς ἱστορικὰ ἐξηγοῦνται. περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ πολλὰ σημαινουσῶν λέξεων δ'. Ἀττικῶν λέξεων ἐκδόσεις β', εἰσὶ δὲ κατὰ στοιχεῖον. λέξεις Ἀντιμάχου καὶ Ἡρακλέωνος. καὶ ἄλλα πολλά; in quibus pro κατὰ Φειδίου scribendum esse κατὰ Μειδίου animadvertit jam Langbaenius in vita Longini cf. ed. Weisk. praef. p. CI.

2) Joannem dico Siceliotam in scholiis ad Hermogenem (ed. Weisk. pg. LXXXX sqq.); tum Porphyrium in vita Plotini multis in locis, a Weiskio pg. CIV sqq. laudatis; praeterea Eusebium, Libanium, anonymosque grammaticos, de quibus Weisk. l. l.

Restant enim adhuc complures praeterea codices manuscripti libri περὶ ὕψους, qui tamen omnes redeunt, ut ad fontem quasi, ad Parisinum illnm [1]); ubi enim in hoc paginae nonnullae exciderunt, ibi etiam ceteri omnes totidem deesse plagulas adnotabant: quare si hunc unum noveris, ceteros omnes novisti. In hoc igitur principali, ut ita dicam, libro manuscripto, in quo nostrum commentarium Aristotelis problemata antecedunt, jam ab initio commentationis de sublimitate legitur: ΔΙΟΝΥCΙΟΥ Η ΛΟΓΓΙΝΟΥ, non quod antea legi credebatur Διονυσίου Λογγίνου [2]). Amati enim, qui denuo accuratius codicem oculis subjecit, primus H illud reperit, qua littera in futurum cohibetur, quominus in codice adesse putemus „Διονυσίου Λογγίνου", quo nomine omnes ante Amatium editiones scriptorem exornarant. At, quum hodie constaret [3]) litteram ἢ legi in codicis inscriptione, jam apparebit, librarium manuscr. Parisini, quem ante saeculum decimum [4]) vixisse non credibile est, ipsum dubium fuisse, quisnam perfecerit librum de sublimitate. Intelligitur autem, duplici modo explicari posse titulum illum: jam enim vel librarius ipse in illo exemplari, ex quo suum apographum exscripsit, nomen aut Dionysii aut Longini invenit et alterum horum nominum ipse adjecit, quippe qui dubitaret, num revera liber profectus sit ab uno alterove illorum; vel ipse, in codicibus nullo scriptoris vestigio reperto, utrumque et Dionysii et Longini nomen adscripsit, quippe quem utrumque notum esset de eadem aut simili re sermonem instituisse. Sed sitne haec an illa sententia verisimilior aut etiam

1) De hoc ceterisque codd. cf. Ruhnkenii diss. de vita et script. Long. in ed. Weisk. pg. CIV. et pg. XLIII sqq.; sola in sect. VIII. exciderunt ex archetypo post factum jam apographum plagulae cf. Ruhnk. l. modo laud.

2) Cf. epistolam Amatii quaeque huic Weiskius adjecit pg. 213 sqq. ed. Weiskianae.

3) Videas Tollium pg. 216. ed. Weiskian.

4) Cf. Cod. Par. descriptionem ab Rich. Simone in Lettres choisies. T. II, lettre 24 factam laudatamque ab Weiskio in recensione codicum pg. XLIII.

probanda, illud facillime perspicitur, hanc codicis, qui ipse demum post antiquitatis tempora confectus est, inscriptionem: Διονυσίου ἢ Λογγίνου, ad nostram de scriptore germano sublimitatis dissertationem haud multum aut potius nihil valere, propterea quod codex ipse totam rem in incerto relinquat. Accedit id, quod, etiamsi statuamus principalem codicem exhibuisse Longini rhetoris nomen, tamen jure quaeritur, annon tota in hac re Longini commemoratio, satis temeraria, ut demonstraturos nos postea profitemur, ex falsa interpretatione verbi λόγου, quod adscribi solebat librorum titulis, exorta sit; qua in inscriptione: περὶ ὕψους λόγου librarius quum scriptoris nomen latere opinaretur, mutavit pro suo ingenio in Λογγίνου, quem rhetorem fuisse non spernendum similibusque de rebus libros confecisse cognoverat. Praeterea in msto bibliothecae Laurent. inscribitur liber Ἀνωνύμου περὶ ὕψους [1]), qua inscriptione Weiskio plane confirmari videntur illa, quae Amatius de auctore protulerit, jam antiquitus non affuisse ullam scriptoris commemorationem. Quae quum ita sint, inscriptio illa codicis recentiore manu confecta argumentum esse non potest, ut ex illa pro certo concludamus, scriptorem commentarii de sublimitate aut fuisse Longinum illum philosophum ac rhetorem Palmyrenum saeculo tertio, aut omnino auctori nomen fuisse Dionysii vel Longini; qua de re postea (pg. 17 sqq. et pg. 64 sqq.) sermonem copiosiorem instituere in animo est.

Deinde praeter codicis inscriptionem ii, qui pro viribus studebant librum Longino rhetori vindicare, in consilii sui defensione neglecto prorsus ingenio, oratione, spiritu paene divino, denique toto habitu libri ipsius (quae omnia deficiente certa quadam fama de scriptore, unicum atque supremum, etsi sane difficillimum saepeque insolentius adhibitum criticorum auxilium esse constat), in suum commodum nihil nisi locos commentationis perpaucos solebant vertere, quibus luce clarius stabiliri suam sententiam dixerunt, librum confici non potuisse,

1) Cf. Weisk. ed. pg. 634.

nisi saeculo p. Chr. ad minimum tertio. Est autem inter istorum argumenta primum, quod idem gravissimum est, sect. XIII, 3 Ammonii, philosophi Neoplatonici, commemoratio, quem vitam degisse ab initio sec. 3 constet; deinde Moses, Judaeorum legislator, citatus sect. IX, 9, quod alienum esse volunt a pagano homine, aptissimum autem tertii saeculi scriptori; postremum, quo nugas videntur captare, vox *ἀλληγορία* semel IX, 7 usurpata. Quas caussas, si placet, jam accuratius perspiciamus.

Prima, quam gravissimam censuimus caussam his verbis sect. XIII, 3 continetur: *Μόνος Ἡρόδοτος Ὁμηρικώτατος ἐγένετο; Στησίχορος ἔτι πρότερον, ὅτε Ἀρχίλοχος, πάντων δὲ τούτων μάλιστα ὁ Πλάτων ἀπὸ τοῦ Ὁμηρικοῦ ἐκείνου νάματος εἰς αὐτὸν μυρίας ὅσας παρατροπὰς ἀποχετευσάμενος. Καὶ ἴσως ἡμῖν ἀποδείξεων ἔδει, εἰ μὴ τὰ ἐπ' εἴδους καὶ οἱ περὶ Ἀμμώνιον ἐκλέξαντες ἀνέγραψαν.* Heic aperte Ammonium Saccam, inclytum illum philosophum patremque quasi Neoplatonicorum memorari volunt Longini Palmyreni sectatores, praesertim quum germanus Longinus in frgm. V, 3 Saccam inter philosophos sui saeculi recensuerit[1]). Inter quos reperiri miramur F. A. Wolfium, virum acutissimi ingenii, cujus in Analectis litter. Vol. II. pg. 526 haec leguntur verba: „Quocirca tibi alia indicia erunt quaerenda, ut ejus libri aetatem probabiliter definias imprimisque inter laudatos auctores illustrandus *Ammonius*, cujus cp. XIII. mentio fit, quem incertum adhuc interpretes relinquerunt, quis sit inter plures, qui eodem nomine clari fuerunt post veterem Aristarchi successorem Alexandrinum, etsi primum legendo quisque de aequali Sacca cogitandum putabit“. Quacum oratione viri ornatissimi nulla alia in re consentire me confiteor, quam quod

1) Long. frg. V, 3: *Τοῦ δὲ δευτέρου Πλατωνικοὶ μὲν, Ἀμμώνιος καὶ Ὠριγένης, οἷς ἡμεῖς τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου προςεφοιτήσαμεν, ἀνδράσιν οὐκ ὀλίγῳ τῶν καθ' ἑαυτοὺς εἰς σύνεσιν διενεγκοῦσιν.* De Peripatetico quodam Ammonio, quem Long. frg. V, 4 ut virum doctissimum (*οὐ γάρ ἐστιν, ὅστις ἐκείνῳ γέγονεν εἰς πολυμάθειαν παραπλήσιος*) recenset, nemo, quantum scio, hoc loco cogitavit.

eadem atque ille admiratione tenear, quod nemo interpretum atque criticorum, quorum vires ac studia consumsit liber περὶ ὕψους, adhuc hanc rem diligentius disserere studuerit, quippe quum nihil magis Longino Palmyreno librum primo quasi aspectu vindicare videatur, quam haec ipsa Ammonii commemoratio. Weiskius, qui in adnott. ad h. l. Ammonii Saccae discipulos scripsisse putat encomium Homeri aut Platonis, statim adjicit: „Sed tamen et alius Ammonius significare potuit", quibus verbis totam quaestionem in incerto reliquit. At hercle interpretes locum non illa, qua debuerunt, diligentia ac religione circumspexerunt; etenim accuratius si quaeritur, de quo librorum genere sermo fiat in verbis Pseudolongini (si hoc nomine jam nunc appellare licet auctorem libri περὶ ὕψους, ut discernatur a tertii saeculi philosopho Longino), jam intelligimus, Ammonii aut discipulorum ejus scriptum, quod citatur, procul distare ab studiis philosophicis, quibus per totam vitam Saccas Neoplatonicus se dederat, qui num omnino unquam calamo opera composuisset, magnopere dubitatur [1]. Verum enimvero recensetur a scriptore grammatica quaedam Ammonii industria, qnam exhibuisse dicitur in libro aliquo de Platonis similitudine cum Homero. Quare quum omnino Ammonius, hic memoratus, a Neoplatonico alienus sit, qui omnem vitam transegit in sapientiae disciplina divinarumque et humanarum rerum cognitione, jam ad ceteros, quos antiquitas celebraverat, ejusdem nominis transgrediendum erit, quorum, si tempora ante Longinum reputes, (nam posteriora nihil ad nostram rem), duos praeterea laudatos reperimus: Ammonium Alexandrinum, discipulum Aristarchi grammatici, et Ammonium philosophum quendam praeceptorem Plutarchi, qui vitam ejus composuit scripto, quod ad nostram memoriam non pervenit [2]. Quum autem non de philosophicis, sed de grammaticis litteris dicatur, procul dubio est, quin hic, quem scriptor noster accit, fuerit grammaticus ille Alexandrimus, quod facillimum est probatu.

---

1) Cf. Pauly Encyclopaed. real. Stuttgart. s. Ammonius nr. 3.

2) Cf. Fabric. bibl. gr. V. p. 712 sqq. Pauly Encyclop. Real. s. Ammonius Nr. 2.

Etenim jam Roeper, Gedanensis [1]), vir doctissimus, animadvertit, posse, quum Pseudolonginus de grammatico libro loquatur, alium nullum accipi Ammonium, quam discipulum Aristarchi, qui, ut tollatur omnis dubitatio, librum composuerit περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου, cujus titulus et pauca verba exstant in schol. Venet. Iliadis, quae ad ι, 536 haec exhibent:

Ὅς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν, ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν.

Ἀμμώνιος ἐν τοῖς περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου, διὰ τοῦ ξ προφέρεται ἔρεξεν, quibus alius scholiasta paullo post addit: Ἀμμώνιος. ἔρεξεν. Atqui hunc ipsum librum de similitudine Platonis cum Homero laudat scriptor sect. XIII, quum dicat, exemplis hujus rei (similitudinis scilicet, quae intercedat Homerum inter aliosque scriptores), non opus esse, quippe quum οἱ περὶ Ἀμμώνιον, (qua voce ex Graecorum dicendi more aut Ammonius cum discipulis suis aut solus ipse Ammonius exprimi potest), exempla hujus rei delecta in commentarium redegissent. Erat autem Ammonius [2]), Alexandriae sub finem saeculi secundi a. Chr. natus, discipulus Alexandri cujusdam et Aristarchi grammatici, inde ab Aristarchi obitu princeps Aristarchaeorum scripsitque praeter librum supra memoratum alias quoque grammaticas commentationes, Pindari, Homeri, aliorum explicationes, quarum notitia accuratior nostram aetatem fugit. Ad haec verisimile fit, eundem fuisse illum Ammonium, cujus bis Athenaeus [3])

---

1) Evolvas Schneidewini Philologum, Tom. I. p. 630.

2) In universum cf. Pauly, l. l. s. Ammon. Nr. 1; Fabric. b. gr. V, p. 701, 712 sqq. Matter, essais historique sur l'école d'Alexandre I, p. 179, 233. Suid. s. Ἀμμώνιος Ἀμμωνίου, Ἀλεξανδρεύς, Ἀλεξάνδρου γνώριμος, ὃς καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον. Schol. Ven. ad Il. κ', 397: εἴ τι χρὴ πιστεύειν Ἀμμωνίῳ τῷ διεξαμένῳ τὴν σχολήν, ἐν τῷ περὶ τοῦ μὴ γεγονέναι πλείονας ἐκδόσεις τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως τοῦτο φάσκοντι, et in seqq. Ἀμμώνιος δὲ ὁ Ἀριστάρχειος πρῶτον μὲν στιγμαῖς φησὶ τὸν Ἀρίσταρχον παρασημειώσασθαι αὐτούς etc. Memoratur praeterea in scholiis Ven. ad Il. ζ, 76; ο, 162; β, 111; γ, 368; τ, 365. 368.

3) Athen. XI. p. 476 sqq.: Ὁ δὲ βαστάσας αὐτὸ (sc. κέρνος), οἷον

mentionem facit, laudatis duobus libris ejus, quorum alter *περὶ βωμῶν καὶ θυσιῶν*, alter *π. τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων* inscriptus erat; neque enim aliena fuere talia ab grammaticis Alexandrinis, quum ex eodem Athenaeo l. l. appareat, etiam Aristophanem grammaticum, qui ante Aristarchum bibliothecae Alexandrinae curandae praepositus erat, de eadem re opus contexuisse. Produxit autem vitam Ammonius usque ad mediam saeculi primi aetatem, ita ut fuerit aequalis Pompeji, Caesaris, Ciceronis; quamobrem fortasse jure quodam eundem fuisse censemus Ptolemaei Auletae legatum illum, qui a. U. c. 698. Romam missus est auxilii contra Alexandrinos seditiosos petendi caussa quique fautores P. Lentuli Spintheris, Ciliciae proconsulis [1]), a quo senatusconsultum evocatum erat, ut rex Aegyptius, expulsus e regno suo, restitueretur, pecunia oppugnavit, ut hoc senatusconsultum ab machinationibus C. Catonis, tribuni plebis, defenderent; quod quamquam M. Tullius ipse oratione sua de rege Alexandrino in senatu habita comprobavit, nihilominus secus accidit. Nec minus Ammonius comes fuisse videtur Cleopatrae, filiae natu majoris Auletae, quae a. 709 Caesaris dictatoris visendi caussa Romam pervenit [2]) atque benigne ac familiariter in hortis illius trans Tiberin sitis recepta munificentissime ab eo habebatur; Cicero enim ad Att. XV, 15, 2 distincte Ammonium „sponsorem promissorum reginae appellat, quae quidem promissorum erant φιλόλογα et dignitatis meae, ut vel in concione dicere auderem“. Videtur igitur

---

λυχνοφορήσας, τούτων γενέται, ὡς ἱστορεῖ Ἀμμώνιος ἐν τρίτῃ περὶ βωμῶν καὶ θυσιῶν; XIII, 567. a. *Σὺ δέ, ὦ σοφιστά, ἐν τοῖς καπηλείοις συναναφύρῃ, οὐ μεθ' ἑταίρων, ἀλλὰ μετὰ ἑταιρῶν, μαστροπευούσας περὶ σαυτὸν οὐκ ὀλίγας ἔχων, καὶ περιφέρων ἀεὶ τοιαυτὶ βιβλία Ἀριστοφάνους καὶ Ἀπολλοδώρου καὶ Ἀμμωνίου καὶ Ἀντιφάνους, ἔτι δὲ Γοργίου τοῦ Ἀθηναίου, πάντων τούτων συγγεγραφότων περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων.*

1) Cic. ad fam. I, 1, 1. In caussa haec sunt. Ammonius, regis legatus, aperte pecunia nos oppugnat, cetera; ad. Qu. fr. II, 3, 1 Cato legem promulgavit de imperio Lentuli abrogando. Dio Cass. XXXIX, 15—16. De Lentulo videas Pauly s. Cornelia gens.

2) Cf. Suet. Caes. 52. Dio Cass. XLIII, 27.

Ammonius, sicut ceteri grammatici Alexandrini magna fruitus esse auctoritate apud Ptolemaeos, quippe qui eum non solum propter litterarum artiumque studia (haec Cicero φιλόλογα), sed etiam in rebus publicis administrandis in concilium adhiberent intimum. Quo autem tempore vita defunctus sit, accuratius circumscribere non possumus, licet illum ex Suidae verbis supra laudatis: πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον conjiciamus brevi ante tempora Actiaci proelii diem obiisse supremum. — De hoc igitur grammatico ejusque libro de similitudine Homeri Platonisque scriptor verba facit in hac sectione, jamque nos luce clarius docuisse arbitramur, quam leviter judicarint illi, secundum quos Ammonius Saccas philosophus his verbis memoratus sit, qui neque unquam philosophiae fines egressus est neque omnino fortasse scripta composuit. Ceteroquin in iis, quae sequuntur, accuratius videbimus, ipsam illam Ammonii commemorationem pro magno documento existimandam esse, quod liber primo, non tertio p. Chr. saeculo adjudicetur.

Transimus ad alteram fautorum istorum Longini rhetoris caussam, quod Moses geneseosque initium inter alia sublimitatis specimina, tanquam profani cujusdam scriptoris verba, laudentur, quod ab alio fieri non potuisset, nisi ab homine posterioris aevi et litteris christianis itemque judaicis imbuto; quam ob caussam esse non posse, quin Longinus libellum composuerit, praesertim quum Neoplatonicorum duces iidemque Longini familiares, Saccas dicunt et Plotinos et Origenes et Porphyrios, aut ipsi partes christianismi per tempus secuti sint, aut novae illius religionis auctoritatem omnibus ingenii viribus debilitare studuerint. At vero idem, quo supra usi sumus auctore, Roeper Gedanensis l. l.[1]) felicissime, ut nobis videtur, etiam hoc argumentum perfregit, ita ut jam in futurum nullius sit momenti. Sed exscribenda erunt ipsa Pseudolongini verba sect. IX, 9: Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρησε, κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ

1) In Schneidewini Philologo I. pg. 620.

γράψας τῶν νόμων· „Εἶπεν ὁ θεὸς“, φησί· τί; „Γενέσθω φῶς καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο“. Imo hercle etiam legenti obiter in mentem venit, auctorem libri verba Mosis non proferre, ut quae ipse legisset. Etenim adjicit nonnulla, quae in genesi minime reperiuntur, illud scilicet: γενέσθω γῆ καὶ ἐγένετο; nam de terra aedificanda in genesi fere haec sunt: „Ab initio creavit deus coelum et terram“, neque additur, num etiam terra ex sola verba divini auctoritate exorta sit, sicut lux: γενέσθω φῶς καὶ ἐγένετο, annon. Quibus perpensis nequaquam credibile fit, aut scriptorem ipsum, quum de sublimitate scriberet, evolvisse veteris testamenti codices, aut ipsum fuisse sive christianum sive Judaeum, quippe qui suae religionis litteras, majore diligentia, quam heic Pseudolonginus noster amplecterentur; contra videtur genesin non ipse nosse, sed tantum mentionem ejus verborumque sacrae scripturae memoriam aliunde hausisse. Atque hic egregie subvenit Roeperi, de quo supra diximus, conjectura, quae nobis quoque commentarium de sublimitate primum legentibus in mentem venit, omnem geneseos notitiam proficisci ab Caecilio Calactino rhetore, contra quem (ut postea dicendum erit) commentatio tota confecta est. Caecilius enim, ut Krüger (Ueber das Leben des Thucydides S. 34.) suo jure defendere videtur, secundum Suidam [1]) Judaeus fuit aut proselytus Judaicus idemque, in quem, quum de Verre ageretur, Cicero divinationem in Caecilium habuit (cf. postea pg. 42 sqq.). Jam si haec vera (neque est, cur dubitemus,) perspicitur, ex illius libro de sublimitate scriptorem nostrum omnia, quae de genesi proferret, in suum commodum vertisse, et locum, quem memoria citaret, parum diligenter edidisse, quod eo facilius intelligitur non solum, sed etiam excusatur, quo minus Pseudolongino verba ipsa Mosis, quam divina illa vis atque spiritus ex illis spirantia cordi essent: ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρησεν. Quod autem omnino attinet ad notitiam litterarum Hebraicarum evulgatam medio primo saeculo

---

1) Suid. s. Καικίλιος . . . τὴν δὲ δόξαν Ἰουδαῖος; non additus, num etiam gente Judaeus fuerit.

p. Chr., ubi nosmet illum, qui composuit librum, vixisse opinamur, tenendum erit, Judaeorum et antiquitates et scripta sacra jam inde a Pompeji temporibus, qui primus templum Hierosolymitanum intravit, innotuisse apud Romanos atque cognita esse magno cum studio, cujus rei Roeper Eusebium in Praepar. evang. satis documentorum attulisse affirmat: accedebat διασπορὰ, quam dicunt, Judaeorum, qua viri eorum doctissimi dispersi per totum orbem terrarum suae gentis linguam et libros in omnes regiones imperii Romani effundebant. Notum est, sub imperatore Augusto jam talem in modum cultus peregrinorum deorum irrepsisse, ut Tiberius Caesar coactus esset [1]), has religiones, imprimis Aegyptiorum Judaeorumque vi opprimere et earum gentium omnes ceterosque, qui tali superstitioni dediti essent, ex urbe expellere. Quanto magis sub tempora Vespasiani imperatoris, quibus ex nostra sententia liber conscriptus est, cognita esse debebat genesis; cujus notitiae firmissima argumenta sunt nonnulli Plinii Tacitique loci [2]), qui accuratam rerum et imprimis caerimoniarum Judaicarum notitiam exhibent. Praeterea memoratu dignum est, qua laude scriptor significet Mosen, quem christianus aut omnino saeculi tertii homo sine dubio Judaeorum prophetam, Dei instrumentum, similiter nominasset, quem vero noster tanquam alium quemlibet hominem recenset ne nomine quidem adjecto: ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης οὐχ ὁ δεινὸς ἀνήρ (i. e. homo non mediocris, non vulgaris ingenii; non unus ex multis). Ac ne longi simus, christiani, quem nos dicimus, habitus, christianorum morum, christianae doctrinae ne vestigium

---

1) Suet. Tib. 36. Externas caerimonias, Aegyptios Judaicosque ritus compescuit: coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Judaeorum juventutem, per speciem sacramenti, in provincias gravioris coeli distribuit: reliquos gentis ejusdem vel similia sectantes, urbe submovit, sub poena perpetuae servitutis, nisi obtemperassent. — Augustus permiserat collegia Judaeorum. cf. Suet. Aug. 32 et 93.

2) Plin. Hist. N. XXX, 1; Tac. Hist. V, 3 sqq., ubi conferendus totus de Judaeorum moribus ac religione locus.

quidem inest libro περὶ ὕψους, etiamsi ipsa praecepta honestatis virtutisque ab auctore tanta cum severitate et gravitate instituta videntur, ut liber nullo sit deterior habendus antiquo morum paene rigore. Denique ut finis sit hujus scriptionis meae particulae, recte judicasse videtur de hoc loco Toup. ap. Weiskium in not. ad h. l., qui haec exhibet: „Qui aliud, quam de *scriptore* cogitarunt, et vel nobilitatem Mosis vel Longini christianismum in his quaesiverunt, necessario nugati sunt". Mosis igitur commemoratio non est impedimento, quominus misso Longino rhetore vixisse primo saeculo statuamus summum illum virum de orationis sublimitate disserentem.

Postremam caussam, qua fortasse adversariorum quis nitatur, jam Wolfius ipse, qui eam protulit primus quantum scio, prostravit in Analectis suis litter. p. 526. talia perhibens: „Ac facile quidem foret, doctissimi viri opinionem de Augustei aevi scriptore refutare, si verum esset de voce ἀλληγορία, non ante Plutarchi aetatem usurpata, Ruhnkenii judicium in Timae. Lex. p. 144 (200) prolatum, a pluribusque deinde repetitum firmatumque ut a Fischero in Praefat. ad Demetr. π. ἑρμ p. VIII: sed illa in re erravit Criticus alias consideratissimus, Ciceronis immemor sui, apud quem idem vocabulum bis legitur, quod semel ab illo scriptore, Longino, positum est. Quocirca tibi alia indicia erunt quaerenda" etc. Quibuscum plane consentio atque addere volo nihil nisi Pseudolongini locum, in quo ἀλληγορία vox legitur: IX, 7: Ἀλλὰ ταῦτα φοβερὰ μέν· πλὴν εἰ μὴ κατ' ἀλληγορίαν λαμβάνοιτο, παντάπασιν ἄθεα, καὶ οὐ σώζοντα τὸ πρέπον; et Ciceronis locos, qui sunt Orat. 27, 94. et ad Att. II, 20, 3, quibus adjiciendus Demetr. Phal. nescio qua pagina: νῦν δὲ ὥσπερ συγκαλύμμασι τοῦ λόγου τῇ ἀλληγορίᾳ κέχρηται; neque omittendum est, Heraclidem, qui dicitur Ponticus, περὶ ἀλληγορίας Ὁμηρικῆς scripsisse, qui liber, quod viris doctis nunc videtur, item primo p. Chr. saeculo adjiciendus erit.

Haec ii, qui Longinum Palmyrenum — Palmyrenum dico per breviloquentiam a Palmyrena ejus commoratione et interitu — scripsisse librum volunt, vel solent vel omnino possunt proferre in suum commodum et ad suam sententiam

stabiliendam. At neminem fugiet, hasce talesque caussas nihil unquam valere, ut liber tam excelsus egregiusque Longino tertii saeculi philosopho vindicetur. Quae quum ita sint, omissis his disquiramus nunc doctorum hominum illorum sententiam, qui non solum librum, qua in re plane cum iis consentio, Longino abdicabant, sed etiam, in dubia re nimium progressi, alium quendam longo tempore ante viventem ut scriptorem sibi fingebant. Atque in his primum locum tenet acutissimi ingenii vir atque auctor dubitationis totius Hieronymus Amati. Praeterire possumus, quod vir doctissimus de inscriptione Διονυσίου ἢ Λογγίνου disseruit, num omnino dici potuisset Dionysius Cassius Longinus: haec, sintne vera annon, certe aliena sunt a nostro proposito. Amati autem, ut hoc tantum addam, ex suis argumentis concludit, quum ex graecorum nominum more ac similitudine nullo modo potuerit legi: Dionysius Longinus, alterum ex his nominibus pro spurio ejiciendum esse, et quidem Longini nomen, quum a Longino nullo modo conscriptus esse possit libellus; auctorem igitur libri appellat Dionysium et inter celebres hujus nominis scriptores Dionysium Halicarnassensem hunc de sublimitate sermonem instituisse contendit; caussis sententiae suae usus in universum iis omnibus, quibus nosmet ipsi ad probandam libri originem multo antiquiorem saeculo tertio nitimur. Insuper pro argumento addit, quod scriptorum a Pseudolongino sect. 39, 1 memoratorum: συντάγματα δύο περὶ ὀνομάτων συνθέσεως, unum quidem adhuc exstet inter opera Dionysii Halicarnassei; deinde quod „ipse stylus“ (sunt haec illius verba), „ac modus legendi grandis, virilis, castigatissimus, longe remotus ab illo sophistico et fracto, qui aevo Aureliano vigebat, pusillanimem criticum impellere debebat, ut Dionysio Augusteo opus hoc indubitanter adsereret“. At mehercle Amati in his magis conjecturarum, quam veritatis sectator habendus; nemo enim, qui unquam librum Dionysii Halicarnassensis manibus tenuit, illius scribendi rationem grandem ac virilem nominabit; at libri περὶ ὕψους sublimem atque virilem speciem unusquisque etiam obiter in eo versatus agnoscet: Dionysii Halicarnassensis stylus sane castigatissimus est; Pseudolongino

autem illud ipsum saepius crimini datum est, quod non semper sit purus liberque a vitiis mendisque orationis, quamquam haec ipsa in dicendo negligentia atque incuria saepissime magni ingenii spiritusque divini esse soleat. Alienissimus igitur non solum orationis genere, sed etiam ingenio liber περὶ ὕψους apparet ab indole Dionysii Halicarnassei[1]). Verum quod Amati de συντάγμασι δυσὶ περὶ ὀνομάτων συνθέσεως proponit, prorsus concidit; neque enim ea, qua hominem criticum decet diligentia locum Longini animo pendebat, qui est in sect. XXXIX, 1: Ἡ πέμπτη μοῖρα λείπεται, ὦ κράτιστε, ἡ διὰ τῶν λόγων αὐτὴ ποιὰ σύνθεσις· ὑπὲρ ἧς ἐν δυσὶν ἀποχρώντως ἀποδεδωκότες συντάγμασιν, ὅσα γε τῆς θεωρίας ἦν ἡμῖν ἐφικτά etc., scriptor igitur citat libros *duos* περὶ λόγων συνθέσεως, de sententiarum compositione, non autem *unum* librum eo titulo, quo Dionysii opus exstat: περὶ ὀνομάτων συνθέσεως; ex quibus luce clarior Amatii error patet. Praeterea qui rhetoris Halicarnassensis scripta recensent, neutiquam inter ea referunt nostrum librum, quod certe fecissent, quum jam in antiquitate nihil crebrius atque usitatius esset, quam Dionysio Halicarnasseo, quem constabat rhetorices multa tractasse, omnia, quorum auctor effugerat hominum memoriam, asserere; sicut verbi caussa dissertatio Plutarchi de Homero a multis Dionysio tribuebatur[2]). Neque, quae praeterea Pseudolonginus scripta[3]) in libro ipso ut a se composita memoriae prodit, ab ullo inter Dionysii Halic. nominantur.

---

1) Cf. Weiske in ed. p. 218: „Spiritu enim animique impetu, universa orationis forma, verborum artis usu, variisque de rerum natura judiciis, si dicere licet, quod sentio, longissime distat ab Halic. Dionysio hic noster, si unquam appellatus fuerit Dionysius“.

2) Βίος Ὁμήρου ed. Gale opusc. mythol. Amstel. 1688.

3) Sunt autem περὶ Ξενοφῶντος sect. VIII, 1 et π. παθῶν, si, quod sub finem libri facturum se affirmet (sect. XLIV), de hac re disseruit. Hic sufficiat insuper meminisse, Pseudolonginum esse Platonicum (cf. postea pg. 71), Dionysium Hal. vero singulari libro: ἐπιστολὴ πρὸς Γναῖον Πομπήϊον, contra Pompejum suum de philosophia Platonica judicium haud benevolum defendisse.

Denique Dionysius Halicarnasseus jam haud multos ante Chr. n. annos e vita discessit, postquam anno octavo archaeologiam Romanam perfecit [1]; prima igitur imperii Augustei tempora vita non superavit. Quae quum ita sint, absurdae forent querelae illae, quae insunt libro de oratorum inopia bonorum, de libertate amissa, de oppressa philosophica disciplina, aliae, quum Dionysius ipse etiam Ciceronum, Hortensiorum, Caesarum aequalis auditorque fuerit; neque ullo modo ferri posset locus sect. 43, 3: Οἱ δὲ νῦν, ἔφη, παιδομαθεῖς εἶναι δουλείας δικαίας . . . καὶ ἄγευστοι καλλίστου καὶ γονιμωτάτου λόγων νάματος (τὴν ἐλευθερίαν, ἔφη, λέγω), quae risum moverent, proficiscentia ab homine, qui praeclarissima, etsi extrema reipublicae tempora viderat, qui senectute demum provectus imperium unius toleravit, qui, quod jam diximus, summorum oratorum auditor atque aequalis fuerat. Neque omnino Dionysius Halicarnasseus talis libertatis sectator aut tanta philosophiae notitia imbutus est neque tantam fere stoicam animi severitatem probat, ut haec et tota omnino postrema sectio de ejus calamo elapsa esse possint. Quid? Si Dionysius esset scriptor libelli, quonam modo posset explicari Neronis Colossus (sect. 36, 3, de quo postea pg. 34 sqq.), aut Nannorum commemoratio (44, 4) aut Theodorus Gadareus (3, 5 laudatus), praeceptor Tiberii Caesaris, quae omnia posteriorem redolent aetatem. Abjicienda igitur est omnis de Dionysio Halicarnasseo cogitatio propter difficultates multas neque facile tollendas; et probandus Weiske qui pag. 217 ed.: „Nam quod gravissimus auctor“, inquit, „qui hoc opus Longino abdicat, idem asserit Dionysio Halicarnassensi, hoc vereor, ut viris doctis probet“. Sed Weiskius ipse iisdem de caussis errat, si in proxime sequentibus alium rhetorem, scripsisse putat librum, Dionysium nomine, qui Pergami natus Atticus cognominatus est; hic autem temporibus Augusti, quem adolescentem litteris instruxerat [2]), vitam degebat; quare eadem argumenta obstant,

---

1) Dodwell de aetate Dionys. in edit. Reisk. pg. XLVI—LXII. Weissmann de Dionysii vita. Marburg.

2) Suet. Oct. 89. Deinde etiam eruditione varia repletus

ut opus ab illo sit confectum, quae etiam Dionysio Halicarnasseo et cuilibet alii ejusdem temporis, quominus unum ex his scriptorem libri habeamus, impedimento sunt.

Verum propositum mihi est, non solum adversariorum opiniones argumentis refutare, sed etiam, quantum possim, diligentiore habita libri ipsius περὶ ὕψους disquisitione examinare, num fortasse ex ipsius aut verbis aut indole liceat de auctore ipso et de tempoe, quo scripserit, explorata quaedam colligere. Etiamsi enim nomen ipsum auctoris in aeternum hominum notitiam effugiet, nisi casu felici eripiatnr oblivioni, certe tamen haec res satis est digna, quae studia omnium excitet, ut ex ipso libello aetas, conditio, iugenium indolesque auctoris tanti operis accuratius depingatur. Atque hic satis multa occurrunt; ex quibus primum nobis liceat argumenta exponere, quae commentationem priori Caesarum aetati adjudicant. Inter quae primum locum obtinere jus est habitum, ut ita dicam, et compositionem sententiarum omnium, quibus diligentius perlustratis nemo de Longino auctore cogitarit. Sit enim hic egregius ille rhetor, philosophus, grammaticus, quem Ruhnkenius [1]), alii sibi fingunt, ut jure eum βιβλιοθήκην ἔμψυχον appellaverit Eunap. ad Porphyr. p. 13, ut jure κατὰ Λογγῖνον κρίνειν in proverbium abierit, tamen non sine bona caussa Roeper l. saepius l. totam recentioribus temporibus exortam Longini famam atque gloriam ex ipso nostro περὶ ὕψους libro profectum opinatur, ita ut, quod saepius accidere soleat, ab operis excellentia repetita sit auctoris praestantia.

Longinum enim, cujus vitam hic perbreviter, (quum accurata delineatio absit a nostra re,) liceat percurrere, prima saeculi tertii parte c. a. 213. Ruhnkenius putat in lucem editum esse. Constat illum cognomen Cassii habuisse [2]), ut fuerit aut genere

---

(Octavianus) Sphaeri, Arei philosophi filiorumque ejus Dionysii et Nicanoris contubernium iniit.

1) Ruhnkenius in tota diss. philol. de vita et scriptis Longini, quam nomine Petr. Joan. Schardami edidit. Lugd. Bat. 1776.

2) Cf. Phot. Lex. s. Σέρφοι. οἱ πτερωτοὶ μύρμηκες, οὓς ἡμαῖς Νύμφας. οὕτως Δίδυμος, Κάσσιος δὲ Λογγῖνος. Suid. s. Λογγῖνος ὁ Κάσσιος, φι-

aut quod magis verisimilitudinis speciem prae se fert, adoptione conjunctus cum vetere Cassiorum Longinorum gente, cujus primus jam a. U. 502. tribunus militum fuisse dicitur [1] quaeque etiam sub imperatoribus floruit. Dionysii nomen, quod ex unica inscriptione codicis Par. ei a Ruhnkenio l. l. p. LXX tribuitur, retinere non ausim, etenim quum nemo veterum, quorum multi de hoc Longino verba faciunt, Dionysium eum appellet, audacius quam verius videtur, ex nostro libro, qui nequaquam ejus calamo excidit, hoc nomen ei adjicere. De patria parentibusque sufficiant, quae Ruhnkenius l. l. suppeditat; Longinus adolescens quum peregrinationibus longis susceptis Alexandriam venisset, audivit in hac urbe Neoplatonicorum duces, Ammonium, scurriliter Saccam cognominatum, Origenem [2], Plotinum, Ammonii discipulum; sed eorum scholis deterritus severitatem acerbitatemque philosophiae temperare studebat doctrinae rhetoricae suavitate, ita ut Plotinus pro admiratione exclamaret: φιλόλογος μὲν ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδαμῶς [3]. Imbutus autem horum praeceptis reversusque Athenas in hac urbe adolescentium frequentiam docuit artem philosophandi, grammatices [4], minus, sin omnino rhetorices [5] tanta cum assiduitate tantaque cum facultate, ut fama eruditionis [6] suae bonam orbis terrarum partem peragraret; habuitque discipulos tam multos, quam inclytos, inter quos Malchus, ab eo Porphyrius nominatus, multiqui alii, quorum nomina legeris velim apud Ruhnk. l. l. pg. LXXXVI. Athenis quum

---

λόσοφος, Πορφυρίου διδάσκαλος τοῦ φιλοσόφου. πολυμαθὴς καὶ κριτικὸς γενόμενος. ἦν δὲ ἐπὶ Αὐρηλιανοῦ τοῦ Καίσαρος καὶ ἀνῃρέθη ὑπ᾽ αὐτοῦ, ὡς σύμπνους τῇ Ζηνοβίᾳ, τῇ Ὀδηνάθου γυναικί.

1) Cf. Zonar. VIII, 14.

2) Hic Origenes non commutandus est cum inclyto illo christiano, qui sub Alexandro Severo sequentibusque Caesaribus vixit. Cf. Weiske praef. pg. LXXV et LXXVIII.

3) Cf. Porphyr. vit. Plot. p. 116.

4) Cf. Weiske praef. pg. LXXXV.

5) Cf. pg. LXXXV.

6) Cf. pg. LXXXV.

tempus aliquod degisset et libros suos fere omnes scripsisset, in Orientem profectus est ad Zenobiam Palmyrenorum [1]) reginam, quae instituta ab eo graecis litteris post mortem Odenathi conjugis consiliis prudentiaque ejus usa est in bello, quod cum Aureliano imperatore gessit. Mox Longinus cum Romani urbi appropinquarent, auctor erat notae illius epistolae [2]) magnum spirantis animum ad imperatorem scribundae, qua iratus Palmyra capta Aurelianus supplicium sumi de philosopho jussit; tali modo etiam moriens servata constantia animi vita defunctus est Cassius Longinus philosophus a. 273. Omnia scripta praeter unum „Ὀδήναθος" laudem Odenathi, jam Athenis confecerat; noti sunt satis multorum tituli, quos accuratius recenset Ruhnk. §. XIV. dissertationis suae: pleraque eorum sunt critica atque grammatica, nonnulla philosophica et rhetorica [3]): maximam famam assecutum est: οἱ Φιλόλογοι, de quo infra accuratius videbimus.

Hic igitur Longinus est ille, ex cujus ingenio profectum volunt opus perfectissimum et omni modo absolutum, quod et sententiarum copia atque ubertate et dispositione tam apta quam perspicua et orationis genere praestantissimo et felicissimis antiquitatis temporibus digno inter excellentissima monumenta ingenii veterum tanto cum jure habetur, ut mirum quantum omnes et viri docti et amatores litterarum [4]) graecarum ac romanarum in ejus laude atque admiratione consentiant; neque enim solum praecepta sublimitatis tradit, sed etiam ipsa re persequitur, ita ut egregie in hunc librum conveniat Homericum illud in Achillem dictum:

μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων [5]).

Talem librum si comparamus cum fragmentis Longini Palmyreni,

1) Cf. pg. LXXXXV.

2) Cf. Vopisc. Aurel. 30. Zosim. I, 56. Suid. s. Λογγῖνος, quae supra exscripsimus.

3) Ruhnk p. CIII et CIV diss. suae libros rhetoricos Longini addubitat; sed adhuc superest commentatio περὶ εὑρήσεως, de inventione. Cf. Walz. Rhett. Tom. IX et praef. ibid. pg. XXIV sqq.

4) Cf. Boileau opera tom. II. p. 19 sqq.

5) Il. ι, 443.

quae et siccitate orationis et rerum tenuitate, ne dicam, inanitate ac perversitate et mystica philosophiae Neoplatonicae superstitione excellunt, statim Longino valedicendum erit: qui enim σχόλια εἰς τὸ τοῦ Ἡφαιστίωνος ἐγχειρίδιον aut περὶ ἐθνικῶν libros confecit, non potuit tractatum hunc sublimem de sublimitate componere. Tantum opus jejunis illis temporibus et ingeniis paene infractis et alienissimis ab vero strenuoque studio rhetorices perfici non poterat; summum enim quodque ingenium imprimis in hac rhetorica arte meliore tantum existit fortuna. Quare Longinum librum confecisse περὶ ὕψους, cui credibile, immo etiam verisimile tantum videri potest, (nisi historica documenta omnia illud confirmant,) eum hercle nunquam eo quo par est animo antiquas litteras manu menteque pervolvisse contendimus.

Deinde sequitur gravissimum argumentum contra Neoplatonicum illum Longinum, quod nemo veterum, quorum haud pauci curam suam illi impendebant, inter hujus scripta excelsissimi operis περὶ ὕψους mentionem inchoet, etiamsi nullo modo scriptoris summum opus praetermitti debuit, praesertim quum levissimi atque exilissimi commentarii recenserentur, inter quos pg. superiore scholia illa in Hephaestionis enchiridium aut περὶ ἐθνικῶν, λέξεις Ἀντιμάχου καὶ Ἡρακλέωνος memorata sunt [1]). Neque enim Suidas, qui fere omnia haec recenset, libri περὶ ὕψους meminit; sunt enim ejus s. v. Λογγῖνος haec verba: Ἔγραψε περὶ τοῦ κατὰ Φειδίου. (legas: Μειδίου intelligasque Demosthenis Midianam orationem) ἀπορήματα Ὁμηρικά. εἰ φιλόσοφος Ὅμηρος. προβλήματα Ὁμήρου καὶ λύσεις ἐν βιβλίοις β'. τίνα παρὰ τὰς ἱστορίας οἱ γραμματικοὶ ὡς ἱστορικὰ ἐξηγοῦνται. περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ πολλὰ σημαινουσῶν λέξεων δ'. Ἀττικῶν λέξεων ἔκδοσις β' εἰσὶ δὲ κατὰ στοιχεῖον. λέξεις Ἀντιμάχου καὶ Ἡρακλέωνος καὶ ἄλλα πολλά; neque Porphyrius in vita Plotini [2]), cujus et multa et praeclare dicta de Longino ejusque operibus sunt, ne verbo quidem indicat, de tali re Longinum

1) Cf. de his similibusque libris Longini Ruhnk. diss. §. XIV.
2) Porphyr. v. Plot. pg. 116; Ruhnk. diss. pg. CIV.

disseruisse; neque alii aut grammatici aut commentatores veterum [1]), quibus notitiam aliquam Longinianorum scriptorum debemus, de sublimitatis commentario verba faciunt. Quae quum ita essent, nonnulli criticorum recentiorum, quum perciperent auctoritatem atque gravitatem hujus caussae, quod nusquam libri fieret mentio, artificiosius quam verius studebant explicare, cur hac in re notitia omnis certior deesset. Atque in his Ruhnkenius prolapsus est in opinionem, quae nisi omni certo fundamento careret, procul dubio nostram totam de libro *περὶ ὕψους* sententiam concuteret; quamobrem pro viribus refutanda erit. Quum enim §. X dissertationis suae loqueretur de illo Longini opere, quod maximam prae se tulit famam, *οἱ φιλόλογοι* inscriptum [2]), in eam abiit sententiam, totam quae nunc est de sublimitate disputationem nihil esse nisi particulam aliquam hujus operis [3]) et quidem libri ejus vicesimi primi, ait enim vir doctissimus pg. LXXXXI. ed. Weisk.: „Idem rhetor“ (loquitur autem de Joannis Siceliotae commentario in Hermogenem) alio loco sic ait: „*φαίνεται δὲ ἡ ἀτοπία τοῦ ποιητοῦ* (Aeschyli) *μᾶλλον ἐν τῷ τῆς Ὠρειθυίας δράματι, ὅπου ταῖς δυσὶ σιαγόσι φυσσῶν ὁ Βορέας κυκᾷ τὴν θάλασσαν. οὐ γὰρ φέρω ἐπὶ μνήμης τὰ ἰαμβικὰ, ἐπιλαθόμενος. διὸ καὶ Σοφοκλῆς μιμεῖται* (legas *μὴ μιμεῖται*). *λέγει δὲ περὶ τούτων Λογγῖνος ἀκριβέστερον ἐν τῷ κα τῶν περὶ φιλολόγων.* De iisdem Aeschyli versibus Longinus etiam sententiam dixerat Π. Υ. sect. 3.“ et sub finem dissertationis addit Ruhnk.: „Denique *τὰ περὶ Ξενοφῶντος*, quae ipse Π. Υ. sect. 8. commemorat, nisi quis pro commentariis in Xenophontem habere velit partem arbitror fuisse *τῶν φιλολόγων*. Neque enim Xenophon in tali censura praeteriri potuit“. Copiosius de libro *οἱ φιλόλογοι* tota paragrapho X. loquitur Ruhnk. collegitque omnes veterum locos, quibus aut laudatur aut quibus verba ex illo memorantur. Erat autem non solum,

1) De his conferendus idem Ruhnkenius paragrapho laudata.

2) Cf. supra p. 22.

3) Videas etiam Pauly. Encycl. real. s. v. Longinus et Wachler Handb. der Litt. Thl. I. pg. 236.

quod Ruhnk. putare videtur, recensio omnium antiquitatis scriptorum, sed quod titulus indicare vult, dialogus philologorum quorundam i. e. virorum eruditorum de omnibus litterarum antiquarum partibus, quod praeclare docet vetustum scholion, ex Paris. cod. Hermogenis a Bastio primum typis submissum, in quo haec leguntur: φησὶ δὲ Λογγῖνος ἐν κα τῶν φιλολόγων ὁμιλιῶν περὶ λέξεως στομφώδους etc. Continebantur igitur libro ὁμιλίαι i. e. sermocinationes philologorum, ita ut simillimum fuisse videatur Δειπνοσοφισταῖς Athenaei aut quam Ruhnk. memorat Loghistoricis Varronis, (quorum quidem alia fuisse videtur conditio,) Hieroclis Φιλίστορσι, Plinii senioris Studiosis [1]; neque tamen cum Bastio et Weiskio ex scholii supra dicti auctoritate sequitur, titulum fuisse αἱ φιλόλογοι ὁμιλίαι aut φιλόλογοι, subaudito ὁμιλίαι, sed, sicut Athenaeus librum non Δειπνοσοφιστῶν λόγοι aut ὁμιλίαι inscripsit, ita etiam Longinus opus suum simpliciter οἱ φιλόλογοι nominasse videtur, quod scholiasta circumscripsit verbis φιλόλογοι ὁμιλίαι, quoniam in eo viri docti sermonem inter sese instituentes legebantur. Sed ad Ruhnkenium, si placet, ejusque conjecturam revertamur. Ex Joanne igitur Siceliota constat, germanum Longinum libro XXI Philologorum Aeschyli Orithyiam, cujus dramatis praeter hunc locum nemo veterum mentionem facit, recensuisse et vituperasse verborum tumorem inanemque strepitum, praecipue illa: ταῖς δυσὶ σιαγόσι φυσσῶν ὁ Βορέας κυκᾷ τὴν θάλασσαν. Similem autem poetae alicujus locum, (non enim cujus sint versus, additur a scriptore,) Pseudolonginus ab initio sectionis III prodit, ubi magnopere dolendum est, integrum nunc non haberi locum poetae, qui sect. III incipit a lacuna in ipsis poetae versibus. Sunt autem haec:

,.... „καὶ καμίνου σχῶσι μάκιστον σέλας.
Εἰ γάρ τιν' ἑστιοῦχον ὄψομαι μόνον,
Μίαν παρείρας πλεκτάνην χειμάῤῥοον,
Στέγην πυρώσω, καὶ κατανθρακώσομαι·
Νῦν δ' οὐ κέκραγά πω τὸ γενναῖον μέλος."

1) Studiosi continebantur tribus libris cf. Plin. Epp. III, 5.

Οὐ τραγικὰ ἔτι ταῦτα, ἀλλὰ παρατράγωδα, αἱ πλεκτάναι καὶ τὸ πρὸς οὐρανὸν ἐξεμεῖν, καὶ τὸ τὸν Βορέαν αὐλητὴν ποιεῖν, καὶ τὰ ἄλλα ἑξῆς. Similes igitur sunt loci propter Boream commemoratum et propter nimiam atque inanem quandam profluentiam verborum; nihil autem demonstrat etiam nostros in sect. III versus ex Orithyia Aeschyli desumtos esse, etiamsi hoc quoque ita esse potest: ex una autem eademque particula dramatis exscripta non videntur: Joannes etiam Siceliota de Borea pontum movente loquitur, Pseudolonginus eum loquentem atque minantem, se flatu suo aedes quasdam incensurum facit.

Accedit, quod noster de sublimitate tractatus omni ex parte absolutus atque perfectus apparet, cf. principium libri: τὸ μὲν τοῦ Καικιλίου συγγραμμάτιον, ὃ περὶ ὕψους συνετάξατο, ἀνασκοπουμένοις ἡμῖν, ὡς οἶσθα κοινῇ, Ποστούμιε Τερεντιανὲ φίλτατε, ταπεινότερον ἐφάνη τῆς ὅλης ὑποθέσεως et qu. seq., in quibus imprimis integrum Postumii Terentiani nomen, quod heic tantum legitur, praeclare indicat, ordiri hisce verbis scriptorem. Simili modo sub finem libri: Κράτιστον δ' εἰκῇ ταῦτ' ἐᾶν, ἐπὶ δὲ τὰ συνεχῆ χωρεῖν· ἦν δὲ ταῦτα τὰ πάθη, περὶ ὧν ἐν ἰδίῳ προηγουμένως ὑπεσχόμεθα γράψειν ὑπομνήματι, τήν τε τοῦ ἄλλου λόγου καὶ αὐτοῦ τοῦ ὕψους μοῖραν ἐπεχόντων, ὡς ἡμῖν δοκεῖ, [οὐκ ἐλαχίστην], quum ad novam quandam materiam, ad animorum affectus transgredi vellet, interrumpit subito totam orationem seque in singulari libro, id quod jam antea promisisset, de his rebus acturum confirmat; existit igitur ne species quidem caussae, quae nos cogat cum Ruhnkenio et aliis nostrum de sublimitate tractatum non pro integro libro, sed pro particula aliqua majoris operis habere. Verbum autem στομφώδης[1]), quod secundum scholiasten Longinus libro XXI Philologorum explicasse dicitur, omnino ne invenitur quidem per totam de sublimitate commentationem.

---

1) Verbum simplex στόμφος bis legitur; III, 1: Ὅπου δ' ἐν τραγῳδίᾳ, πράγματι ὀγκηρῷ φύσει καὶ ἐπιδεχομένῳ στόμφον etc. XXXII, 7 ubi Platon εἰς ἀλληγορικὸν στόμφον ἐκφερόμενος dicitur.

Quae quum ita sint, Ruknkenii argumentum, librum nostrum fuisse particulam Philologorum, etsi concedamus, versus apud Pseudolonginum ex Orithyia Aeschyli esse, tamen concidit, quum scriptor περὶ ὕψους prorsus aliam scenam tragoediae in mente habuerit, quam germanus Longinus, quumque ille in recensione versuum illud ne verbo quidem moneret, quod eum in Aeschylo reprehendisse contendit Joannes Siceliota. Quod autem Ruhnkenius praeterea de libro περὶ Ξενοφῶντος profert, qui idem fuerit particula Philologorum, in hoc mihi toto coelo a veritate aberrasse videtur; qui enim περὶ ὕψους scripsit, aperte singularem in mente habet librum de Xenophonte confectum, si dicit: ὡς κᾀν τοῖς περὶ Ξενοφῶντος ὡρισάμεθα.

Quare ut jam redeamus ad eam, unde profecti sumus, disputationem, quum neque ullus ex scriptoribus antiquis librum περὶ ὕψους ne verbo quidem commemoraverit inter scripta Longini, neque ullo jure, quod critici homines recentioris aevi volebant, liber particula Philologorum Longini esse possit, ut *hac* de caussa nusquam sit memoratus, jam magnum accedit subsidium sententiae illorum, qui Longino Neoplatonico librum omnino abjudicant.

Antiquis igitur litteris nusquam servatum est ne nomen quidem libri περὶ ὕψους; una autem, quae Longino fortasse, sed ne ea quidem certo, librum asserit, inscriptio codicis, (quod jam supra pg. 6 et 7. docuimus) fere nullius est momenti, quum titulus ille codicis Par. a manu recentiore saeculi X [1]) profectus sit. Accedit id, quod etiam unus cod. Florentinus Longino librum manifeste derogat, inscriptionem prae se ferens: Ἀνωνύμου περὶ ὕψους; quae eam, quam multo antea protulimus sententiam, egregie firmat, codices ipsos, quum omnes ex Parisino derivandi sint, qui ipse de auctore commentarii dubitet, non posse certi quid aut in nostrum commodum aut in incommodum exhibere.

Restat particula disputationis nostrae haud levissima, ea

1) Cf. supra pg. 6. scriptoremque ibi accitum.

scilicet, ut ipsis auctoris verbis omnia illa documenta probentur, quibus demonstratur, non posse conscriptum esse hunc librum a scriptore tertii saeculi. Est autem horum tanta varietas atque copia, ut ea non solum in sententiis, sed saepius etiam in verbo uno invenire liceat; quare nec potui nec volui omnia in medium proferre, sed quae maximi videbantur ponderis, ut ex iis pro viribus ostendere studeam, primo aevo p. Chr. natalicia celebrari libri nostri. Inveniuntur autem testimonia illa tam in tota reliqua commentatione de sublimitate, quam praecipue in extrema oratione, quae et sententiarum gravitate ac sinceritate et verborum elegantia ac flumine antecedentes particulas etsi haud contemnendas, tamen longe praecurrit. Atqui est illa notissima atque jure celebrata philosophi cujusdam Romani oratio responsioque scriptoris, de qua mox paullo accuratius disserendum erit. Jamjam transeamus ad eam quaestionem deliberandam, possitne ex libro ipso, etsi non auctoris nomen, tamen tempora enucleari.

Illud autem, ut jam uno verbo dicam, mihi invenisse videor, conceptum esse de sublimitate tractatum sub imperatore Vespasiano. Sed in hac sententia probanda *primum* ostendere par est, non *ante* Vespasiani tempora, qui Kal. Jul. a. 69 Alexandriae ab exercitu imperatoris nomine salutatus est [1]), librum confectum esse posse; *secundo loco* neque *post* imperium Vespasiani, qui a. d. IX. Kal. Jul. a. 79. Cutiliis in agro Sabinorum febri succubuit. Atque in hac demonstratione feliciter succurrit, quod in libello neque res neque scripta laudentur, quae temporibus Vespasiani imperium proxime excipientibus aut facta aut conscripta esse constat. Neque enim, quod sine dubio debuerat auctor, si vixisset tertio p. Chr. saeculo, ne

1) Cf. Tac. Hist. II, 79: Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae coeptum, festinante Tiberio Alexandro, qui Kalendis Juliis sacramento ejus legiones adegit. cp. 80. Dum quaeritur tempus, locus . . . . egressum cubiculi Vespasianum pauci milites, solito adsistentes ordine, ut legatum salutaturi, imperatorem salutavere. Tum caeteri adcurrere, Caesarem et Augustum et omnia principatus vocabula cumulare.

leviter quidem, Hermogenes quid censuerit de sublimitate orationis perstrinxit. Hanc rem Amati p. 214. ap. Weisk. bene hisce notavit: „Adde, inter plures auctores, quos citat auctor περὶ ὕψους, nullum inveniri saeculo Augusteo posteriorem. Qui saltem non Hermogenem citasset, cujus Τεχνικοῖς universi postea adhaeserunt“. In quibus vir doctissimus tamen vitium admisit, quod neminem Augusto inferiorem memoratum contendit, quae res secus se habet, quum verbi caussa Theodorus Gadareus, de quo statim copiosius disputandum erit, laudetur, alii vero manifeste significentur; quamobrem Amati praejudicato illo, ut ita dicam, quod pro Dionysio Halicarnassensi affert, injustiorem se atque negligentiorem, quam criticum decet, praebuisse videtur. At vero recte observavit, scriptorem, si compositus esset tertio saeculo liber de dictionis sublimitate, non silentio potuisse praeterire Hermogenem ejusque de ratione dicendi, imprimis sublimi, judicium. Vixit enim Hermogenes[1]), Tarsi Ciliciae oriundus, Ξυστὴρ propter sermonem perpolitum cognominatus, circa medium secundum p. Chr. saeculum subitoque, postquam jam quindecim annos natus publice artem rhetoricam docuit et a septo decimo aetatis anno scriptor per orbem celebratus fuit, jam viginti quinque annos natus, insanabili alienationis aut insaniae generi succubuit. Reliquit posteritati libros perfectionem atque absolutionem paene assecutos atque quid potuisset praestare longiore vitae spatio demonstrantes, adhibitos saepissime in docenda rhetorica, ab innumeris fere grammaticis[2]) illustratos adnotationibus scholiisque; retinemus adhuc quinque volumina, quorum maximam criticorum laudem sibi consciscebant: Τέχνη ῥητορική; περὶ τῶν στάσεων; περὶ μεθόδου δεινότητος; περὶ ἰδεῶν. Hic quasi pater rhetorices temporibus proxime sequentibus ab iis, qui praecepta conscribebant dicendi, omnibus laudatus, a nemine prorsus neglectus, neque ab Longino, si auctor esset libri περὶ ὕψους, potuisset silentio praetermitti, praesertim

1) Cf. de eo Westermann Gesch. d. Beredtsamk. §. 95, 3—11; Waehler Hdb. pg. 235.

2) Catalogum eorum invenies apud Westermannum l. l.

quum non solum a Ruhnkenio in catalogo librorum Longinianorum scriptum Εἰς τὴν ῥητορικὴν Ἑρμογένους [1]) memoraretur, sed quum etiam Hermogenes libris suis non solum similes, sed saepius easdem, quas Pseudolonginus, pertractasset res. Neque enim ille solus commentarius ejus, qui περὶ μεθόδου δεινότητος inscribitur, de sublimi agit ratione dicendi, sed etiam in libro περὶ ἰδεῶν, i. e. de formis oratoriis accuratissime dividit genera orationis, quorum septem discernit: σαφήνεια, μέγεθος, κάλλος, γοργότης, ἦθος, ἀλήθεια, δεινότης, de quibus quum dissereret, elatam quoque atque sublimem orationem perlustravit. Quare quum scriptor tam diligens tamque subtilis, qualis per totum librum Pseudolonginus apparet, neque nomen commemoraverit Hermogenis, neque etiam sententias, judicia, verba ejus ullo in loco aut refutaverit aut solum respexerit, sine dubio summo cum jure statuendum erit, eum, qui de orationis sublimitate scripserit, Hermogenem ne nosse quidem, quippe quem si nosset, silentio praeterire non potuisset.

Verum enimvero laudati quoque scriptores memorataeque res aut non ultra Vespasiani imperium progrediuntur, aut illud ipsum tempus luce clarius demonstrant. Accitur enim, ut antiquiores scriptores usque ad Ciceronem, cujus in sect. XII, 4 mentio fit, ejusque aequales omittamus, sect. III. §. 5. Theodorus quidam rhetor, quem equidem nullum alium esse censeo, nisi Gadareum illum, Tiberii Caesaris in doctrinarum liberalium studio praeceptorem. Sunt mihi nonnullae hujus rei caussae, quare exscribamus opus est totum libri nostri locum: Τούτῳ παράκειται τρίτον τι κακίας εἶδος ἐν τοῖς παθητικοῖς, ὅπερ ὁ Θεόδωρος παρένθυρσον ἐκάλει. Rhetores autem duo hujus nominis reperiuntur [2]), tempore ac vitae conditione multum inter sese distantes, quorum alter aetate prior, Byzantii natus, tempore belli Peloponnesiaci vixit atque habetur

1) Cf. §. XIV. diss. Ruhnk., qui ipse hunc librum Longini addubitat, nescio qua de caussa, quum nihil minus admirationem excitet, quam quod de Hermogene scripserit Longinus.

2) Cf. omnino de Theodoris: Piderit de Theodoro. Marb. 1842.

in sophistarum numero aeque ac rhetorum[1]). Scripsit secundum Suid. s. v.[2]) κατὰ Θρασυβούλου, κατὰ Ἀνδοκίδου καὶ ἄλλα τινά; praeterea τέχνην ῥητορικὴν, quam memoriae prodit Aristot. Rhet. II, 23, 28; et III, 11, 6; a Platone in Phaedr. X. p. 364 ita est depictus: χρηστὸς καὶ βέλτιστος λογοδαίδαλος[3]). Alter Theodorus Gadarae ex servili genere oriundus, quamquam ipse maluit patriam esse Rhodum[4]), Augusti Tiberiique aetate primum in insula Rhodo eloquentiam docuit interque auditores Tiberium Caesarem habuit, postea vero sectam Theodoreorum, nomine oppositam Appollodoreis, condidit Romaeque sophistica controversia cum Potamone et Antipatro pugnavit[5]). Scripsit περὶ ῥήτορος δυνάμεως, περὶ θέσεως, alia, quae Suidas recenset. Inter hunc utrumque eligere, de quo scriptor libri περὶ ὕψους cogitarit, quum Theodorum simpliciter citaret, difficile videtur; attamen haud male jam Langbaenius ad nostrum Longini locum opinabatur, de Gadareno sermonem esse; neque negari potest, ad hanc sententiam firmandam multa atque gravia accedere, quae me quoque non amplius sinant dubitare, quin heic Theodorus

1) Cf. Westermann, Gesch. d. Ber. §. 30, 16. et §. 68, 7.

2) Suid. s. Θεόδωρος Βυζάντιος, σοφιστὴς, ὃς ὑπὸ Πλάτωνος λογοδαίδαλος ἐκλήθη· ἔγραψε κατὰ Θρασυβούλου, κατὰ Ἀνδοκίδου, καὶ ἄλλα τινά.

3) Plat. Phaedr. X. p. 364. ΣΩ . . . . καὶ πίστωσιν οἶμαι καὶ ἐπιπίστωσιν λέγειν τόν γε βέλτιστον λογοδαίδαλον Βυζάντιον ἄνδρα. ΦΑΙ. Τὸν χρηστὸν λέγεις Θεόδωρον; ΣΩ. Τί μήν. Cf. notas viror. doctor. ad haec verba.

4) Quint. III. cp. 1. et Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium: quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Caesar; cf. et II, cp. 15.

5) Suid. s. Θεόδωρος, Γαδαρεὺς, σοφιστὴς, ἀπὸ δούλων, διδάσκαλος γεγονὼς Τιβερίου Καίσαρος. ἐπεὶ δὲ συνεκρίθη περὶ σοφιστικῆς ἀγωνισάμενος Ποτάμωνι καὶ Ἀντιπάτρῳ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ· ἐπὶ Ἀδριανοῦ Καίσαρος ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀντώνιος συγκλητικὸς ἐγένετο. βιβλία δὲ ἔγραψε περὶ τῶν ἐν φωναῖς ζητουμένων γ'. Περὶ ἱστορίας α'. Π. θέσεως ἕν. Π. διαλέκτων ὁμοιότητος καὶ ἀποδείξεως β'. Π. πολιτείας β'. Π. Κοίλης Συρίας α'. Π. ῥήτορος δυνάμεως α', καὶ ἄλλα. — Cf. praeterea Suet. Tib. 57. Strab. XVI. p. 759.

Gadarenus, non autem Byzantius laudatus sit. Primum mirum, ne dicam offensioni foret, scriptorem Vespasiani aut magis etiam Aureliani temporibus nulla accuratiore addita appositione laudare potuisse rhetorem haud ita insignem aut celebratum, qualis Byzantius ille fuerat, quatuor aut etiam pluribus saeculis a se disjunctum; praesertim si suo ipsius tempore viveret ejusdem nominis ejusdemque artis professor, quocum ne misceretur antiquus ille ab lectore non ita penitus litteris imbuto, nihil erat, quod impediret. Agedum, magisne aptum videtur, solo articulo ὁ significari hominem tanto intervallo temporis a scriptore remotum neque ingenio neque scriptis ita excellentem, an illum, qui ipso scriptore adolescente — si jure librum confectum censemus Vespasiano imperante — Romae artem non solum professus est rhetoricam, sed etiam edocuit Tiberium Caesarem, immo etiam scholam celeberrimam reliquit, quae nomen illius ut signum aut tesseram aliquam servabat? Deinde observanda erit imperfecti forma ἐκάλει, qua persuasissimum habeo, Theodorum Gadareum memorari; quid enim imperfectum cum Byzantio, de quo, ut jamdudum mortuo, perfectum sine dubio rectius usurpatum fuisset. Sed consilio ac prudenter hoc ita fecisse videtur scriptor, quippe qui dicere vellet: hoc Theodorus (quod adhuc nunc viventibus omnibus notum) *παρένθυρσον appellare solebat*; atque ita recte Morus in versione latina locum reddidit. Atqui ut breviter dicam, ita mihi fingo rem, ut Theodorus, qui vitam in ipsum Tiberii imperium protenderat, quum Romae scholas haberet eloquentiae, inter auditores illum quoque adolescentulum habuerit, qui postea divinum hunc de sublimitate orationis commentarium composuit. Jam si haec vera protulimus, (neque est cur addubitemus), omnia bene procedunt: ex praelectionibus enim magistri affert Pseudolonginus vocem illam satis delectam atque insignem, παρένθυρσον dico, qua Theodorus nimium verborum tumorem et cumulationem notare solebat, ducta significatione hac ex comparatione cum bacchico illo inflatu atque tumore, cujus quasi in symbolum apud veteres thyrsus abierat. Verum ut redeamus ad quaestionem illam a nobis propositam, cujus caussa hanc ab incepta oratione degressionem suscepimus,

scriptor quum Gadareum Theodorum in adolescentia frequentasse atque auscultasse videatur, vitam sine dubio ultra fines imperii Vespasiani extendebat, neque ullo modo, de quo copiosius jam supra pg. 17. diximus, unus idemque cum Dionysio illo Halicarnassensi, qui Ciceronis aequalis fuerat, esse potest.

Dein etiam accuratius delineatur tempus, quo scriptus sit de sublimitate tractatus, quod jam in transcursu pg. 19. attigimus, colosso commemorato Neronis in sect. XXXVI. §. 3: Πρὸς μέντοι γε τὸν γράφοντα, ὡς ὁ Κολοσσὸς ὁ ἡμαρτημένος οὐ κρείττων, ἢ ὁ Πολυκλείτου Δορυφόρος, παράκειται πρὸς πολλοῖς εἰπεῖν, ὅτι ἐπὶ μὲν τέχνης θαυμάζεται τὸ ἀκριβέστατον, ἐπὶ δὲ τῶν φυσικῶν ἔργων τὸ μέγεθος· φύσει δὲ λογικὸν ὁ ἄνθρωπος, κἀπὶ μὲν ἀνδριάντων ζητεῖται τὸ ὅμοιον ἀνθρώπῳ, ἐπὶ δὲ λόγου τὸ ὑπεραῖρον, ὡς ἔφην, τὰ ἀνθρώπινα. §. 4. Προσήκει δ᾽ ὅμως, (ἀνακάμπτει γὰρ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἡμῖν τοῦ ὑπομνήματος ἡ παραίνεσις,) ἐπειδὴ τὸ μὲν ἀδιάπτωτον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τέχνης ἐστὶ κατόρθωμα, τὸ δ᾽ ἐν ὑπεροχῇ, πλὴν οὐχ ὁμοτόνου, μεγαλοφυΐας, βοήθημα τῇ φύσει πάντῃ πορίζεσθαι τὴν τέχνην· ἡ γὰρ ἀλληγουχία τούτων ἴσως γένοιτ᾽ ἂν τὸ τέλειον. Exscripsimus hic totum locum, qui inter dispersos illos per totam Pseudolongini commentationem referendus erit [1]), in quibus cum eximia scientia atque admirabili ingenii acumine de iis, quae summa sunt in arte, dijudicatur, locum dico, de quo nescio num dolor magis an admiratio me teneat, qua de caussa usque ad hunc diem a nemine interpretum accuratius sit illustratus. Weiskius in iis, quae adjecit huic loco, bene observavit, scriptorem hisce demonstrare voluisse exemplis accitis, quod jam in sect. XXXIII, 1 in medium protulerat: ὡς τὸ μέγεθος ἐν ἐνίοις διημαρτημένοις οὐ κρεῖττον, ἢ τὸ σύμμετρον ἐν τοῖς κατορθώμασιν:

---

1) Cf. verbi caussa sect. XVII, 3. comparationem orationis cum pictura, in qua bene divisae sunt umbrae ab luminibus; sect. XXVIII, 1, ubi ex musica arte petuntur similia; sect. XLIII. 3. vasorum commemoratio aureorum gemmis distinctorum, multaque alia.

magnitudinem et excelsitatem cum vitiis nonnullis conjunctas in artis operibus non pluris valere, quam mediocritatem omni modo leges atque praecepta artis persecutam. Illustrat autem hanc suam sententiam exemplis ex sculptura repetitis: „τὸν Κολοσσὸν", artificium ingentis magnitudinis comparans cum exacto quodam atque singulis magis ex partibus absoluto opere Polycleti Sicyonii, nomine Doryphori celebrato. Quae collatio per se facillime intelligitur, sed quaestio fit, (de qua re silere criticos omnes ad hunc diem magnopere miror), de Colossorum utro cogitarit commentationis auctor, quippe quum duo imprimis per antiquitatem maximopere sint celebrati, Colossus Rhodiorum in septem miraculis mundi habitus et Neronis statua colossea haud minus decantata; ex quibus interpretes ad unum fere omnes, si ex silentio conjecturam facere licet, Rhodium illum intellexisse videntur. Iccirco paullo accuratius placet accedere ad colossorum unumquemque. Fuerat autem Colossus Rhodiorum maximus inter centum, quibus ornata erat insula Rhodus [1]), opus Charetis Lindii, cujus manu in basi subscriptum erat:

Τὸν ἐν Ῥόδῳ κολοσσὸν ἑπτάκις δέκα
Χάρης ἐποίει πήχεων ὁ Λίνδιος,

1) Cf. Plin. H. N. 34, 7. §. 41: Ante omnes autem in admiratione fuit Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius, Lysippi supra dicti discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terrae motu prostratum, sed jacens quoque miraculo est. Pauci pollicem ejus amplectuntur. Majores sunt digiti, quam pleraeque statuae. Vasti specus hiant defractis membris. Spectantur intus magnae molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens. Duodecim annis tradunt effectum CCC talentis, quae *contulerant* ex apparatu regis Demetrii *relicto*, *morae taedio*, *obsessae Rhodo*. Sunt alii minores hoc in eadem urbe colossi centum numero, sed ubicunque singulari fuissent, nobilitaturi locum; praeterque hos Deorum quinque, quos fecit Bryaxis. Ex cod. Bambergensis anctoritate legendum erit pro contulerant: *contigerant*, quod Silligius quoque probat allato alio Plinii loco; contingere enim est: casu, fortuito accipere, assequi. In iis, quae sequuntur, pleraeque nunc editiones recepta Gronovii conjectura *obsessae Rhodo* exhibent; sed malim equidem

quos versus ex Anthol. Planudea no. 82. Dalechampius ad Plinii locum modo in adnotationibus laudatum exscripsit. Altitudinem habuit secundum epigramma illud septuaginta cubitorum, diciturque conflatus esse ex aere helepolidis [1]), machinamentorum cujusdam generis, quod Demetrius Poliorcetes invenisse Rhodique reliquisse fertur, quum a. 305 obsideret insulam Rhodum. Erectus est post annorum duodecim laborem Ol. 122, 1 aut. a. 288. a. Chr. prope portum Rhodi urbis simulque navigiis portum adeuntibus phari loco erat, turri similis, ex qua noctu ad regendos navium cursus flammae emicant; dicatusque erat Soli deo, qui religiosissime ab insulanis colebatur, caput, ut decet lucis deum, radiorum corona redimitum. Neque vero diu loco suo perstitit, quum jam sub Olympiadem 139, (annus enim certe definiri non potest, quum chronographi et Polybius, qui V, 88 de hac re disserit, paullum inter sese discrepent,) aut anno 221 a Chr. terrae motu subrutus sit, ita ut aetate vix 67 aut si Plinio fidem facimus, non plures, quam 56 annos esset assecutus; attamen Plinius affirmat, multo post tempore illum celebratum fuisse atque etiam humi jacentem pro miraculo mundi habitum, quod Philonis Byzantii [2]), rhetoris

---

his quoque verbis sequi optimum cod. Bamb., cujus est: *opsessa Rhodo*, quod item invenitur in cod. Victor. Neque offendere debent tres ablativi proxime sese excipientes, quod genus abscissae orationis apud Plinium aequalesque scriptores haud raro occurrit. Si de re ipsa quaeritur, notum est, Demetrium non potiri potuisse insula Rhodo, etiamsi ingenio acuto omne subsidium excogitaret atque adhiberet. Quare propter morae taedium propterque ea, quae tunc in reliqua Graecia gerebantur, pacem iniit cum Rhodiis anno 304.

1) Helepolis, *ἡ ἑλέπολις*, (derivandum ab *ἑλεῖν* et *πόλις*) machina erat, quam ipse Demetrius construxerat et primum in urbem Salamina Cypri insulae oppugnandam collocarat; propter hanc similesque nomen Poliorcetae accepisse videtur. Describitur autem diligentius ap. Plut. Demetr. 21; Diod. Sic. 20, 48 et 95. et apud Vitruvium X, 22, quos evolvas velim. Cf. insuper Amm. Marcell. XXIII, 4.

2) Inscribitur *Περὶ τῶν ἑπτὰ θεαμάτων*; nunc non integer habetur, quippe quum quinque tantum miraculorum descriptio super-

posterioris aevi, opus confirmat, in quo quum de septem mundi miraculis ageret, cp. IV. pg. 15. longius de Colosso verba fecit.

Alter colossorum, qui quam maximis elatus est laudibus, Romae fabricatus erat a Zenodoro, quem imperator Nero magno pretio ex Gallia, ubi primum arte sua innotuit, Romam conduxerat. Paullo enim post infamatum illud urbis incendium a. 64, quum constituisset Nero, urbem etiam magnificentius, quam antea fuerat, itaque ut ipse aedificandi modum designaret, exstruere, sibi ipsi inclytam illam luxuria inani ac paene incredibili auream domum condidit, cujus in fronte aut in vestibulo collocari jussit colosseam suam statuam, a Zenodoro [1];

esset: Pyramidum dico, Jovis Phidiae Olympii, Rhodiorum Colossi, moeniorum Babylonis, templi Ephesiae Dianae.

1) Cf. Plin. H. N. XXXIV, 7. §.45: Verum omnem amplitudinem statuarum ejus generis vicit aetate nostra Zenodorus. Mercurio facto in civitate Galliae Arvernis, per annos decem; H-S. CCCC manipretio, is, postquam satis artem ibi approbaverat, Romam accitus est a Nerone, ubi destinatum illius principis simulacro colossum fecit, CX pedum longitudine, qui dicatus Soli venerationi est, damnatis sceleribus illius principis. Mirabamur in officina non modo ex argilla similitudinem insignem, verum et ex parvis admodum surculis, quod primum operis instaurati fuit. Ea statua indicavit interisse fundendi aeris scientiam, cum et Nero largiri aurum argentumque paratus esset et Zenodorus scientia fingendi caelandique nulli veterum postponeretur; et quae sequuntur. Suet. Nero. 31. Vestibulum ejus (domus aureae) fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie. Vespas. 18. item colossi refectorem insigni congiario magnaque mercede donavit. Fallitur autem Spartianus Hadr. 19. qui Hadrianum putat, Soli colossum dedicasse: et colossum stantem atque suspensum per Decrianum architectum de eo loco, in quo nunc templum urbis est ingenti molimine, ita ut operi etiam elephantes XXIV. exhiberet. Et quum hoc simulacrum post Neronis vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli consecrasset, aliud tale Apollodoro architecto auctore facere Lunae molitus est; item errat Lamprid. Commod. 17, qui: Colossi, ait, autem caput demsit, quod Neronis esset, ac suum imposuit. Sed Plinii verba aperte docent, jam ab Vespasiano capite Neronis demto Solis impositum esse, quod Commodus postea suo ipsius mutavit.

praeclarissimo tunc temporis aeris flandi fundendique magistro efficiendam; quod Caesaris mandatum explevit artifex summus Nerone sub Solis specie ad centum et decem pedum altitudinem expresso, caput septem radiis distinctum, quo ornatu saepius Nero in nummis quoque exprimitur. Neque vero hic colossus longam temporum seriem perduravit, quum jam Flavius Vespasianus fere in ipso illo loco aureae domus primis imperii sui temporibus Pacis templum aedificaret, cujus exstructione pleraque Neronis opera delerentur, quumque statua colossea Neronis certe propter universale in hunc principem odium a. 75 Soli deo, in cujus similitudinem ab initio expressa erat, dedicaretur. Quae fuerit posteris temporibus colossi hujus conditio et fortuna, nihil ad nostram rem; attamen scriptores, qui illius postea meminerunt, adjicere par est, Spartianum quidem in Hadrian. 19; Herodian. I, 15.

Inter hos igitur quum data sit optio, de utro possit Longinus dixisse, statim elucet, de colosso jam *diu* deleto Rhodiorum, etiamsi maxime celebratus fuerit per totum orbem terrarum, non tam in transitu simpliciter dici potuisse ὁ κολοσσός; sed dicendum potius erat ὁ τῶν Ῥοδίων κολοσσός, similiter. Accedit, quod Romae scriptor vixisse librumque confecisse videatur, qua in urbe „κολοσσὸς“ κατ' ἐξοχὴν nihil aliud, nisi Neronis simulacrum, omnibus notum, haberi potuit. Neque jus est praeterire caussam nostrae sententiae gravissimam: ὁ Κολοσσὸς enim dicitur ὁ ἡμαρτημένος: dum enim litteris graecis latinisque colossus Rhodiorum inter miracula semper describatur, ut qui nihil in se habuerit, quod reprehendi potuisset, Neronis colossum non ex omnibus partibus absolutum fuisse constat; narrat enim Plinius, quum de illo loqueretur, haec: „ea statua indicavit interisse fundendi aeris scientiam, cum et Nero largiri aurum argentumque paratus esset et Zenodorus scientia fingendi caelandique nulli veterum postponeretur. Statuam Arvernorum cum faceret, provinciae Dubio Avito praesidente, duo pocula Calamidis manu caelata, quae Cassio Silano, avunculo ejus, praeceptori suo Germanicus Caesar adamata donaverat, aemulatus est, ut vix ulla differentia esset artis. Quantoque major in Zenodoro praestantia fuit,

tanto magis deprehenditur aeris oblitteratio". Hactenus Plinius: ex quo intelligimus, Zenodorum, qui tanta fuerit scientia in fabricandis caelandisque statuis, nequaquam omni ex parte suffecisse artis legibus in conficiendo Neronis colosso. Quae quum ita sint, de hac Zenodori statua Pseudolonginus dixisse videtur, quum scriberet ὁ κολοσσὸς ὁ ἡμαρτημένος, colossus mendosus; mendosus propterea scilicet, quod artifex, quum Neronis temporibus aeris flandi scientia non amplius artificibus cognita esset, hac in re non artis absolutionem ipsam praestiterat. Quamobrem bene se habet comparatio colosseae statuae Zenodori cum Polycleti Doryphoro. Nam Polycletus Sicyonius, qui floruit Ol. 82—92, inclaruitque arte athletarum aeneas statuas componendi, omnino formas gymnasticas et juvenilium corporum quam maxima venustate exprimendi, fastigium ipsum artis assecutus est concelebrato illo Doryphoro, qui aut volente artifice aut ex consensu judicioque peritorum, pro canone artis existimabatur propter apparentem in eo omnibus membris usque ad imos pedes aequalitatem atque congruentiam; cf. Plin. H. N. XXXIV, 19, 2: Polycletus Sicyonius Ageladae discipulus diadumenum fecit molliter juvenem, centum talentis nobilitatum; idem et doryphorum viriliter puerum *fecit, quem canona* artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes, velut a lege quadam, solusque hominum artem ipsam fecisse artis opere judicatur, et qu. seq.; ita enim puto cum O. Müllero in Archaeol. §. 120. not. 4. corrigendum esse hunc locum pro eo, quod in codd. habetur: *et quem canona*, antecedente post verbum: *fecit*, puncti signo; nam quod ex sequentibus Plinii verbis manifeste cognoscitur: praeclarus ipse doryphorus erat canon ille aut habebatur pro canone ab opificibus, qui eum absolutissimae artis opus censebant; non autem, quod unicus Galenus περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα δογμάτων IV, 3, T. V. p. 449. perverse contendit, librum confecit Polycletus titulo *canonis* inscripto, in quo leges ac praecepta artis toreuticae continerentur; cui sententiae Plinius vehementissime repugnat, quippe qui manifeste dicit, Polycletum solum ex hominibus *artem ipsam* expressisse *artis opere*, Doryphoro scilicet illo, quum liber,

ut ita dicam canonicus, nequaquam artis opus dici possit. Talem igitur praestantiam in congruentia totius corporis sitam atque Neroniani colossi immensum illud spatium et excelsitatem etsi vitiosam Pseudolonginus commodissime in contentionis judicium vocat negans, absolutissimum in parvulis dimensionibus Polycleti opus praestantius putandum esse, quam statuam illam CX pedem colosseam atque in multis vitiose confectam. Ex quibus si conjicere licet, nostra probatur de tempore libri sententia, commentarium ipsis fortasse diebus, quibus Zenodori colossus a priore statione removebatur et Soli deo consecratus est, a Pseudolongino compositum esse, ita ut a legentibus omnibus facillime intelligeretur, quisnam sit perbreviter dictus ὁ κολοσσὸς ὁ ἡμαρτημένος cum egregio Polycleti Doryphoro collatus.

Tum, ut ad tertiam aliquam hujus nostrae sententiae caussam transgrediamur, impedit nos, quominus ultra medium primi saeculi tempus conscriptionem tractatus de sublimitate removeamus, Caecilii Calactini accurata, ne dicam quaesita refutatio. Omnia enim, quae scriptor de Caecilio in medium profert, hunc ut hominem, qui vita non diu ante Pseudolongini tempora defunctus sit, demonstrant; neque verisimile videtur, scriptorem tertii saeculi p. Chr. tanta versatum esse cum assiduitate in Caecilio, ut pretium operae habuisset, rhetoris istius judicia de arte dicendi, imprimis de sublimi genere revincere, praesertim quum inter Caecilii et ipsius Longini Neoplatonici vitam — si ille esset scriptor libri — Hermogenes totam eloquentiae doctrinam atque scientiam, qualis antea fuerat, praeceptis suis abolevisset atque novam in multa saecula dein futura constituisset. Quo magis mirum esset, (qua de re accuratius jam pg. 30. egimus,) si scriptor tertii saeculi hunc principem rhetorices penitus silentio praeteriisset res que suas ut a fonte integerrimo a Caecilio illo Calactino repetiisset, qui etsi a multis laudatus, tamen non tantus fuit, ut omnibus, qui postea de ratione dicendi scribere incepissent, ad illum recurrendum fuisset. Erat enim Caecilius, de quo opus est, ut paullo fusius loquamur, patria Siculus servili gente, ex

urbe Calacte [1]) oriundus, unde Calactinus dictus est (ὑπὸ Καλῆς Ἀκτῆς) idemque fuit, ut statim probare studebo, cum Q. Caecilio Nigro Siculo, in quem Cicero divinationem habuit, quum de Verris accusatore coram judices ageretur. Suid. [2]) enim sub Καικίλιος haec refert: Τὴν δὲ δόξαν Ἰουδαῖος; haecce et sequentia verba apud Suidam certiores nos faciunt, Caecilium Calactinum rhetorem fuisse Judaeum anteque nomen habuisse Archagathi, quod postea, post manumissionem ut videtur, (erat enim natu servus) mutavit in Romanum Caecilii. Ad haec quum Ciceronis illud facete dictum [3]), in quo Qu.

---

1) Calactes nomen contractum est ex *Καλὴ Ἀκτή*, quanam ratione Ath. pronuntiat verbum VI. p. 272. et XI, 466. Herod. VI, 22: *Ζαγκλαῖοι . . . ἐπικαλέονται τοὺς Ἴωνας ἐς Καλὴν Ἀκτήν, βουλόμενοι αὐτόθι πόλιν κτίσαι Ἰώνων κτλ.*; colonia igitur Jonum erat, etsi condita esset a Ducetio, Siculorum principe cf. Diod. Sic. XII, 8, 29. Suid. scribit corrupte *Καλλαντιανός* pro *Καλακτῖνος*.

2) Suid. locus totus hic est: *Καικίλιος, ὄνομα κύριον· Σικελιώτης· Καλλαντιανός. Κάλλαντις δὲ πόλις Σικελίας. ῥήτωρ, σοφιστεύσας ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τοῦ σεβαστοῦ Καίσαρος καὶ ἕως Ἀδριανοῦ, καὶ ἀπὸ δούλων, ὥς τινες ἱστορήκασιν, καὶ πρότερον μὲν καλούμενος Ἀρχάγαθος. τὴν δὲ δόξαν Ἰουδαῖος. βίβλια δὲ αὐτοῦ πολλά. Κατὰ Φρυγῶν δύο ἐστὶ δὲ κατὰ στοιχεῖον ἀπόδειξις τοῦ εἰρῆσθαι πᾶσαν λέξιν καλλιῤῥημοσύνης. ἐστὶ δὲ ἐκλογὴ λέξεων κατὰ στοιχεῖον. σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος. Τίνι διαφέρει ὁ Ἀττικὸς ζῆλος τοῦ Ἀσιανοῦ. Περὶ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων. σύγκρισιν Δημοσθένους καὶ Αἰσχίνου. περὶ Δημοσθένους, ποῖοι αὐτοῦ γνήσιοι λόγοι καὶ ποῖοι νόθοι. περὶ τῶν κατὰ ἱστορίαν ἢ παρ' ἱστορίαν εἰρημένων τοῖς ῥήτορσι, καὶ ἄλλα πλεῖστα. [Πῶς δὲ Ἰουδαῖος, τοῦτο θαυμάζω, Ἰουδαῖος σοφὸς τὰ Ἑλληνικά.]*. In quibus offendit: *καὶ ἕως Ἀδριανοῦ*; qui enim sub Octaviano Romae docuit rhetoricen, eum non credibile est, etiam Hadriani tempore vixisse; quare delenda erunt tria illa verba, errore illata Suidae. Praeterea extrema verba spuria videntur; cf. Bernh. ad h. l.: „Ineptam hominis curiosi vocem, quam Eudocia non invenerat, servant E. V. cum edd. vett.“

3) Plut. v. Cic. ep. 9: *Ὅμως δὲ πολλὰ χαρίεντα διαμνημονεύεται καὶ περὶ ἐκείνην αὐτοῦ τὴν δίκην, Βέῤῥην γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὸν μὴ ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσιν. Ὡς οὖν ἀπελευθερικὸς ἄνθρωπος ἔνοχον τῷ Ἰουδαΐζειν ὄνομα Καικίλιος, ἐβούλετο παρωσάμενος τοὺς Σικελιώτας κατηγορεῖν τοῦ Βέῤῥου· Τί Ἰουδαίῳ πρὸς χοῖρον, ἔφη ὁ Κικέρων.* Cf. similem M. Tullii jocum in Verris nomine latentem Verr. II, 1, 46.

Caecilium Nigrum Siculum gente, qui accusator Verris fieri studebat, Judaeum appellat et de eo illud dicit: Quid Judaeo cum Verre, notum sit, non ita audax mihi videor, qui Caecilium Calactinum Ciceronisque in accusando Verre adversarium unum eundemque fuisse hominem arbitror. Jam si haec vera disputavimus, ex ipso Cicerone licet nova quaedam de Caecilio Calactino afferre. In ipsa enim divinatione M. Tullii acriter exagitatur Caecilius, quod cur miremur non video caussam, quippe quum uterque orationibus coram judicibus habitis, quas divinationes appellare solebant, vehementer contenderet de eadem re: uter a judicibus eligeretur ad accusandum C. Verrem, praetorem illum ob avaritiam divitiarumque cupidinem famosissimum. Quare non magni existimare debemus, si Cicero in multis divinationis locis dicendi Caecilii Nigri vim ac facultatem addubitat illumque ut hominem rudem, ne dicam improbum in suspicionem vocat, ac si ei virtutis aut eruditionis ne nota quidem insit. Sed summa quantumque videtur haud injusta caussa, cur reprobare studeat Caecilium, M. Tullio haec fuit, quod illum, qui quaestoris munere sub Verre praetore functus esset, ut satellitem et administrum plurimorum scelerum facinorumque a Verre perfectorum repellendum persequitur. Neque vero tales insimulationes propter rixam intercedentem tanti faciendae sunt, etiamsi fortasse docent, Caecilium non prorsus se abstinuisse in quaestura sua ab iis rebus, quae praeter jus legesque fieri solent; hanc enim ob rem magnopere concupisse videtur, ut ipse, non autem Cicero, acerrimus Verris exagitator, accusatoris suscipiat partes. Religione igitur, ut supra dictum, fuit Judaeus, patria Siculus, qua in insula primis instituebatur litterarum rudimentis, cf. Cic. in div. in Caec. 12, 39: In quo si te multum natura adjuvaret; si optimis a pueritia disciplinis atque artibus studuisses et in his elaborasses; si litteras graecas Athenis, non Lilybaeo, latinas Romae, non in Sicilia didicisses, tamen esset magnum, tantam caussam oratione exponere; quibus Pseudo-Asconius in explic. sua adjicit: Dicit illum graecas litteras simul et latinas in Sicilia didicisse, in ea insula, quae neutra lingua bene utatur. Ita enim Plautus in Persa:

Dabuntur [dotis] tibi [inde] sexcenti logi,
Atque Attici [omnes;] nullum Siculum acceperis.

In Sicilia igitur primum scientia linguaque Graecorum ac Romanorum imbutus est, quam ob caussam Cicero, quum antiquorum populorum tanti interesset, ut verba cuncta recte pronuntiarentur, eum haud optime praeparatum ad caussam tam gravem, hoc est Verrem accusandum, accessurum esse affirmat, quod Siculos constabat utramque linguam non bene pronuntiare. Devictus autem est Qu. Caecilius a M. Tullio neque inde ab illo tempore in caussa Verrina nominatur. Familiaris erat Dionysio Halicarnasseo, quocum conjungitur a plerisque saepius scriptoribus, cf. ipsum Dion. Hal. ep. ad Cn. Pomp. pg. 777. ed. Reisk.: ἐμοὶ μέντοι καὶ τῷ φιλτάτῳ Καικιλίῳ δοκεῖ τὰ ἐνθυμήματα αὐτοῦ μάλιστά γε καὶ ζηλῶσαι Δημοσθένης. Quint. inst. or. III, 1: Multa post (inter rhetoricos fuit) Apollonius Molo, multa Areus, multa Caecilius et Halicarnasseus Dionysius. Quo anno occubuerit morte nescimus; sed quum aequalis fuerit Dionysii quumque secundum Suidam sub Augusto imperatore vixerit, fere sub idem tempus, quo Dionysius, i. e. circa Chr. n. mortuus esse videtur.

Compluria comperta habemus de rhetorica ejus facultate, quam probavit multis voluminibus, quorum tamen nullum ad nostram memoriam usque pervenit. Sunt autem scriptorum illius pleraque aut historica aut rhetorica; inter illa laudatur liber: De Historia[1]), de bellis servilibus[2]); deinde Romanorum historia, si cum Toupio, quod non dubium, apud Strab. l. V. pg. 230. emendandum erit pro Ῥωμαίων: Ῥωμαϊκῶν; sunt enim haec Strabonis verba: Καὶ ὁ Καικίλιος. ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς, τοῦτο τίθεται σημεῖον τοῦ Ἑλληνικὸν εἶναι κτίσμα τὴν Ῥώμην, τὸ παρ' αὐτῇ τὴν πάτριον θυσίαν Ἑλληνικὴν εἶναι τῷ Ἡρακλεῖ. Toupius

1) Ath. XI, 466, a: Καικίλιος δ' ὁ ῥήτωρ, ὁ ἀπὸ Καλῆς Ἀκτῆς, ἐν τῷ περὶ ἱστορίας Ἀγαθοκλέα φησὶ τὸν τύραννον, ἐκπώματα χρυσᾶ ἐπιδεικνύντα, τοῖς ἑταίροις φάσκειν, ἐξ ὧν ἐκεράμευσε, κατεσκευακέναι ταῦτα.

2) Ath. VI, 272 f.: Σύγγραμμά τε ἐκδέδωκε περὶ τῶν δουλικῶν πολέμων Καικίλιος ὁ ῥήτωρ, ὁ ἀπὸ Καλῆς Ἀκτῆς.

recte animadvertit: ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς esse Romanum scriptorem, quo nomine Caecilius, qui neque genere Romanus fuerit, neque Romanis in scribendo litteris usus sit, non potuisset appellari; quamobrem legendum erit: τῶν Ῥωμαϊκῶν, ita ut fuerit libri titulus Ῥωμαϊκά, quod opus simile videtur fuisse Dionysii Halicarnassensis, cui inscribitur Ῥωμαϊκὴ ἀρχαιολογία quodque continet res et antiquitates Romanorum. Rhetoricorum Caecilii scriptorum nonnulla ad historiam, ut verbo utar, artis dicendi, alia magis ad ipsum disciplinae illius circuitum recurrunt. In illis autem imprimis Demostheni operam navasse videtur (cf. catalogum librorum illius in edit. Weisk. pg. 219 sqq.; etenim omnes hic recensere longum est); in his singulas rhetorices partes pertractavit, et quod praecipue nobis memorandum est, primus [1]) fuisse videtur, qui περὶ ὕψους, de sublimitate librum confecit, quae commentatio, etiamsi non aliunde, tamen ex illis, quae Pseudolonginus ad eam respondit, adhuc aliquantum nota est.

Totus enim de sublimitate tractatus, quem melior fortuna posteritati servabat, in refutando Caecilio versatur; neque obiter, sed diligentissime atque saepissime sententias ejus repellit, atque ita, ut nobis de Caecilii libris non ita bene, quam Westermannus aliique fecerunt, judicare liceat, posteaquam homo tanti judicii tantaeque in omnibus litterarum partibus peritiae, qualem se Pseudolonginus per totum suum librum praestat, fere semper illum vituperavit non solum propter sententiarum discrepantiam, sed etiam propter dispositionem rationemque, qua Caecilius de sublimitate disseruerat quaque multa omiserat memorare. Quod enim Pseudolonginus ab initio sui libelli explicat, caussas scilicet, quae se ad explanandam sublimitatem permoverint, in illis non sunt, quibus nostra de

1) Praeclare docet primum fuisse Caecilium, qui sublimitatem calamo attigerit, locus Pseudolongini sect. I. §. 2: Πλὴν ἴσως τουτονὶ μὲν τὸν ἄνδρα οὐχ οὕτως αἰτιᾶσθαι τῶν ἐκλελειμμένων, ὡς αὐτῆς τῆς ἐπινοίας καὶ σπουδῆς ἄξιον ἐπαινεῖν. In antecedentibus enim reprehenderat Caecilii librum, quem hisce laudandum censet propterea, quod primus omnium hanc rem vocarit in disputationem.

Caecilio opinio effertur: Τὸ μὲν τοῦ Καικιλίου συγγραμμάτιον, ὃ περὶ ὕψους συνετάξατο, ἀνασκοπουμένοις ἡμῖν, ὡς οἶσθα, κοινῇ, Ποστούμιε Τερεντιανὲ φίλτατε, ταπεινότερον ἐφάνη τῆς ὅλης ὑποθέσεως, καὶ ἥκιστα τῶν καιρίων ἐφαπτόμενον, οὐ πολλήν τε ὠφέλειαν, ἧς μάλιστα δεῖ στοχάζεσθαι τὸν γράφοντα, περιποιοῦν τοῖς τυγχάνουσιν et quae sequuntur. Auctori igitur Caecilius non satisfecisse videtur aut suo proposito, aut omnino illis, quae postulari solent in tanta re tractanda; praesertim quum, quod in sequentibus explicatur, illud penitus ὡς οὐκ ἀναγκαῖον praeterierit, quonam modo sublimitatis quandam partem assequi possimus. Quae autem praeterea de Calactini rhetoris libro ex Pseudolongini commentatione concludi possunt, jam breviter si placet componamus. Sect. IV, 2. invenimus Caecilium locutum fuisse de Timaei scribendi ratione, quam exposuit multis exemplis, ita ut scriptor noster affirmet, paucissima sibi relicta esse, ἐπειδὴ τὰ πλείω προέλαβεν ὁ Καικίλιος; omnino videtur, si ex hac re alia conjicimus, Calactinus rhetor magis collegisse sublimitatis exempla, quam de ipso genere dicendi elato disseruisse, quam materiem propterea Pseudolonginus magis urget. Sect. VIII, 1. ubi sublimitatis originem et incrementa explanat, nonnullas caussas silentio praetermisisse ait Caecilium, inter has praecipue animorum affectus, quos nihil in sublimitatem orationis afferre dixerit; at vero tali judicio oppugnat auctor fallique, quum τό τε ὕψος καὶ τὸ παθητικὸν ὡς ἕν τι existimaverit Calactinum contendit[1], quia saepissime occurrant et affectus haud sublimes, ut invidia, pecuniae cupido et sublimitates sine altiore animorum exaggeratione, sicut in encomiis plerumque

1) Sect. VIII §. 1: Φέρε δή, τὰ ἐμπεριεχόμενα καθ' ἑκάστην ἰδέαν τούτων ἐπισκεψώμεθα, τοσοῦτον προειπόντες, ὅτι τῶν πέντε μορίων ὁ Καικίλιος ἕν τι παρέλιπεν, ὡς καὶ τὸ πάθος ἀμέλει. Ἀλλ' εἰ μὲν ὡς ἕν τι ταῦτ' ἄμφω, τό τε ὕψος καὶ τὸ παθητικὸν, καὶ ἔδοξεν αὐτῷ πάντη συνυπάρχειν τε ἀλλήλοις καὶ συμπεφυκέναι, διαμαρτάνει; et §. 4: Εἰ δ' αὖ πάλιν ἐξ ὅλου μὴ ἐνόμισεν ὁ Καικίλιος τὸ ἐμπαθὲς τὰ ὕψη ποτὲ συντελεῖν, καὶ διὰ τοῦτ' οὐχ ἡγήσατο μνήμης ἄξιον, πάνυ διαπάτηται.

animadvertere liceat. Deinde sect. XXXI, 1. non probat judicium Caecilii, qui Theopompum vituperaverit[1]), quod quotidianae vitae vocabulum ἀιαγκοφαγεῖν, (quod athletarum victum necessarium atque impositum a magistris significat) adhibuerit; sed Pseudolonginus noster saepissime et praeclarissime talibus verbis illustrari et illuminari orationem contendit. Sequentis sectionis §. 1. Caecilium dicit a recto magis quam deceat aberrasse, qui duo aut ad summum tres tantum metaphoras in uno loco usurpandas vellet[2]), quod non bene ita se habeat, quippe quum non multitudo aut paucitas, sed in unoquoque loco opportunitas circumscriberet metaphorarum numerum. Sect. XXXII, 8. quum scripsisset Caecilius ὑπὲρ Λυσίου σύγγραμμα[3]), in quo Platoni Lysiam propter dicendi modum vitiis liberatum praeposuerat, reprehenditur ab auctore tale judicium perversissimum[4]), quod magis ex nimio atque immoderato Lysiae amore, quam ex veritatis studio profectum sit.

---

1) Sect. XXXI, §. 1: *Ταύτῃ καὶ τοῦ Θεοπόμπου ἐκεῖνο τὸ ἐπαινετὸν διὰ τὸ ἀνάλογον ἔμοιγε σημαντικώτατα ἔχειν δοκεῖ, ὅπερ ὁ Καικίλιος οὐκ οἶδ' ὅπως καταμέμφεται· „Δεινὸς ὤν", φησίν, „ὁ Φίλιππος ἀναγκοφαγῆσαι πράγματα". Ἔστιν ἄρ' ὁ ἰδιωτισμὸς ἐνίοτε τοῦ κόσμου παραπολὺ ἐμφανιστικώτερον· ἐπιγινώσκεται γὰρ αὐτόθεν, ἐκ τοῦ κοινοῦ βίου· τὸ δὲ σύνηθες ἤδη πιστότερον.*

2) Sect. XXXII. §. 1: *Καὶ περὶ πλήθους δὲ Μεταφορῶν ὁ μὲν Καικίλιος ἔοικε συγκατατίθεσθαι τοῖς δύο, ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς, ἐπὶ ταὐτοῦ νομοθετοῦσι τάττεσθαι.*

3) De hoc libro Toupius ap. Weisk. pg. 220: *ΥΠΕΡ ΛΥΣΙΟΥ ΣΥΓΓΡΑΜΜΑ*, Commentarius de Lysia. Longinus [*π. ὕψους* 32, 8]. Plutarchus in Vit. decem Rhetorum. Huc respexit Phot. in Lysia: *Καικίλιος δὲ ἁμαρτάνει, εὑρετικὸν μὲν τὸν ἄνδρα* (Lysiam), *εἴπερ ἄλλον τινὰ συνομολογῶν, οἰκονομῆσαι δὲ τὰ εὑρεθέντα οὐχ οὕτως ἱκανόν.* [cf. Spengel. l. l. p. 130.]. Idem tamen sentit cum Caecilio Dionysius Halic. in Lysia §. 15.

4) Sect. XXXII, 8: *Τοῖς τοιούτοις ἐλαττώμασιν ἐπιχειρῶν ὅμως αὐτὸ ὁ Καικίλιος ἐν τοῖς ὑπὲρ Λυσίου συγγράμμασιν ἀπεθάῤῥησε τῷ παντὶ Λυσίαν ἀμείνω Πλάτωνος ἀποφήνασθαι, δυσὶ πάθεσι χρησάμενος ἀκρίτοις· φιλῶν γὰρ τὸν Λυσίαν, ὡς οὐδ' αὐτὸς αὑτόν, ὅμως μᾶλλον μισεῖ τῷ παντὶ Πλάτωνα, ἢ Λυσίαν φιλεῖ. Πλὴν οὗτος μὲν φιλονεικίας οὐδὲ τὰ θέματα ὁμολογούμενα, καθάπερ* [illegible] *ἀναμάρτητον καὶ καθαρὸν τὸν*

Talis fuit, quantum ex Pseudolongini commentario conjicere licet, Caecilius Calactinus in libro suo de sublimitate conscripto, utque probabile fit, in ceteris suis operibus. Quare auctoritas ejus in disciplina rhetorica vix primum saeculum superavit Hermogenisque majore atque debita gloria mox oblitterata videtur. Quae quum ita sint, non verisimile est, scriptorem tertii post Chr. saeculi operam dedisse, ut illius praecepta ac sententias tanta cum diligentia refellat, quanta studet Pseudolonginus, qui certe majorem sibi gloriam conscivisset, si in Hermogenem refutandum impendisset idem studium eundemque ingenii vigorem.

Dein accedit minoris quaedam momenti caussa, cui ipse quidem non magnam tribuam auctoritatem in disserenda hac difficillima quaestione, quam tamen prorsus neglexisse non velim; memorantur enim Nani aut Pygmaei, quibus Romanorum nobiles primum sub imperatoribus ludibrii caussa uti coeperunt, sect. XLIV, 5: "Ωςπερ οὖν, (εἴγε, φησὶ, τοῦτο πιστὸν ἀκούω,) τὰ γλωττόκομα, ἐν οἷς οἱ Πυγμαῖοι καλούμενοι τρέφονται, οὐ μόνον κωλύει τῶν ἐγκεκλεισμένων τὰς αὐξήσεις, ἀλλὰ καὶ συναιρεῖ διὰ τὸν περικείμενον τοῖς σώμασι δεσμόν. οὕτως ἅπασαν δουλείαν, caetera. Philosophus ille, quem tota sect. XLIV. loquentem facit, haec pronuntiat, comparatione instituta inter carcerem ut ita dicam pumilionum et omne aliud servitii genus. Legendum autem, ut hoc statim moneam, arbitror cum Paris. cod. ἐν οἷς οἱ Πυγμαῖοι, οἱ καλούμενοι νάνοι τρέφονται. Pygmaeos enim veteres omnino omne genus hominum, naturalem corporis magnitudinem non assecutum, appellare solebant, quorum toti populi[1]) in Iliade, apud Herodotum, alias memorantur; at

ῥήτορα προφέρει πολλαχῇ διημαρτημένου τοῦ Πλάτωνος· τὸ δ' ἦν ἄρα οὐχ τοιοῦτον, οὐδὲ ὀλίγου δεῖν.

1) Cf. Herod. III, 37: ἔστι γὰρ τοῦ Ἡφαίστου τὤγαλμα τοῖσι Φοινικηΐοισι Παταΐκοισι ἐμφερέστατον, τοὺς οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρώρῃσι τῶν τριήρεων περιάγουσι. ὃς δὲ τούτους μὴ ὄπωπε, ἐγὼ δέ οἱ σημανέω· πυγμαίου ἀνδρός μίμησίς ἐστι. Plin. H. N. VII, 16: Fuere sub Divo Augusto semipede addito, quorum corpora ejus miraculi gratia, in

vero *νάνος* aut *νάννος*[1]), a Romanis morio sive pumilio dictum, nomen est certae cujusdam speciei Pygmaeorum illorum, quam Romani inde ab imperatorum temporibus inter servorum gregem habere solebant[2]), ut eorum saltationibus, pantomimis, exsultationibus delectarentur. Quam ob caussam Pseudolonginus scripsisse videtur: *οἱ Πυγμαῖοι, οἱ καλούμενοι νάνοι*, i. e. non omnino homines formae pusillae, sed Pygmaeorum ii, qui nani dicuntur et quorum corpus plerumque non natura, sed artificiis cohibebatur, ne ultra minimae altitudinis modum cresceret. Quum enim inter raritates referri coepissent talis exiguitatis homines, reperiebantur arcae propriae (*γλωττόκομα* Longinus, loculos Plinius appellat), ut earum angustiis, ut carceribus coerceretur puerulorum, quibus in

---

conditorio Salustianorum asservabantur hortorum. Pusioni et Secundillae erant nomina. Eodem praeside minimus homo duos pedes et palmam Conopas nomine, in deliciis Juliae neptis ejus fuit; et mulier Andromeda liberta Juliae Augustae. Manium Maximum, et M. Tullium equites Romanos, binûm cubitorum fuisse, auctor est M. Varro: et ipsi vidimus in *loculis asservatos*. Philostr. Icon. I. pg. 737. De Pygmaeorum gruumque bello cf. Hom. Il. III, 37.

1) *Νάνος* proprie est adjectivum cf. Aristot. de part. an. IV, 10: *νάνα εἰσὶ παιδία πάντα;* derivandum ab *νηνέω*, farcio significatque corpora superiore in parte magna, inferiore exigua: *οὗ τὸ ἄνω μὲν μέγα, τὸ δὲ φέρον τὸ βάρος καὶ πεζεῖον μικρόν.*

2) Praecipue tamen mulieres Romanae voluptatem ex pumilionibus percepisse videntur, minus propter ridiculas eorum agitationes, quam propter immensae magnitudinis genitalia, quibus ad foedissimas libidines exercendas uti solebant. Cf. omnino de hac re Pauly, Realencykl. s. v. Nanus. Exemplum talis rei affert Martial. XII, 93:

Qua moechum ratione basiaret
Coram conjuge repperit Fabulla.
Parvum basiat usque morionem;
Hunc multis rapit oculis madentem
Moechus protinus, et suis repletum
Ridenti dominae statim remittit.
Quanto morio major est maritus.

Magno autem in pretio erant moriones, eoque majore, quo stultiores essent cf. Martial. VIII, 13; XIV, 210 et 212.

futurum pro pumilionibus usuri erant, justum ac naturale incrementum. Romae coeperunt haberi nani sub imperatoribus; Juliam enim Augusti neptem primam novimus, quae pro ludibrio morionem habebat (cf. Plin. H. N. VII, 16, 2.); Augustus [1]), cujus rei est auctor Suetonius, mire aversabatur aspectum deformitatis et monstrorum istorum. Sed ab hoc tempore diffundi coepit usus eorum, qui tamen circa medium aevum primum nondum adeo in omnium ore fuisse videtur, ut ab omnibus loculorum illorum nomen ac institutio cognita

1) Cf. Suet. Aug. 83. Animi laxandi caussa modo piscabatur hamo: modo talis aut ocellatis, nucibusque ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabiles undique conquirebat, praecipue Mauros et Syros. Nam pumilos, atque distortos et omneis generis ejusdem, ut ludibria naturae malique ominis abhorrebat. Cf. praeterea de nanis eorumque usu, quae antea nostram effugerant memoriam verba Senecae de tranq. anim. lib. II, 6: „Pueros quidam in hoc mercantur procaces et eorum impudentiam acuunt et sub magistro habent". Simile genus erant spadones cf. Quint. inst. V, 12. p. 406. ed. Lugd. Bat.: non alio medius fidius vitio dicentium, quam quo mancipiorum negotiatores, formae puerorum virilitate excisa lenocinantur. Quint. declam. CCXCVIII: Habent hoc quoque deliciae divitum: malunt quaerere omnia contra naturam. Gratus est ille debilitate, ille ipsa infelicitate distorti corporis placet, alter emitur, quia coloris alieni est. — His autem nudis otium suum oblectare solitas esse matronas, testis est Dio Cass. XLVIII, 44. quum de nuptiis Augusti Liviaeque loqueretur: παιδιόν τι τῶν ψιθύρων, οἷα αἱ γυναῖκες γυμνά, ὡς πλήθει, ἀθρόουσαι τρέφουσιν. Describitur morionum forma a Martial. VI, 39, 15:

Hunc vero acuto capite, et auribus longis,
Quae sic moventur ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Cyrrhae.

Cf. Becker Gallus I. p. 124. qui tamen in eo errasse videtur, quod nanos fuisse publicos, moriones servos privatos putat; sed Propert. IV, 8, 48:

Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus

minime de publico videtur dixisse servo; aeque nanus a Suet. Tib. 61. commemoratus, non publicus, sed privatus Tiberii pumilio fuit.

haberentur. Quare Longinus addit: *εἴ γε τοῦτο πιστὸν ἀκούω*, dum tertii saeculi scriptor, ubi haec corporis humani depravatio jam desineret adhiberi atque laudari, non potuerit dubitare, quin loculi fasciaeque re vera sint adhibita ad efficiendam monstrosam quandam corporum exiguitatem. Quae si in deliberationem vocamus, accedere aliquid ad nostram sententiam arbitramur, sub primis vixisse scriptorem imperatoribus, ubi nanorum loculorumque illorum usus nondum ita pervulgatus erat.

Sequitur deinde nova aliqua caussa, de qua ad priora, quam tertii saeculi tempora referendus est de sublimitate commentarius. Sectionis enim octavae §. 1. praeclare docet, eo tempore, quo conscriptus sit liber, divisionem figurarum, quae sunt *σχήματα λέξεως καὶ διανοίας*, nondum ab omnibus intellectam atque comprobatam et in artis rhetoricae libros receptam fuisse. Quum enim in sect. VIII. de quinque generibus aut quasi fontibus loqueretur sublimitatis, duobus jam explanatis tali modo pergit auctor: *Ἀλλ' αἱ μὲν δύο αὗται τοῦ ὕψους κατὰ τὸ πλέον αὐθιγενεῖς συστάσεις· αἱ λοιπαὶ δ' ἤδη καὶ διὰ τέχνης, ἥ τε ποιὰ τῶν σχημάτων πλάσις, (δισσὰ δέ που ταῦτα τὰ μὲν νοήσεως, θάτερα λέξεως,) ἐπὶ δὲ τούτοις ἡ γενναία φράσις, (ἧς μέρη πάλιν ὀνομάτων τε ἐκλογὴ, καὶ ἡ τροπικὴ καὶ πεποιημένη λέξις).* Solebant autem, ut hoc ante omnia moneam; (accuratius enim quaerere, quid sit sententiae aut sermonis figura, abest a proposito,) ab rhetoribus translationes distribui in figuras sententiarum et verborum, *σχήματα λέξεως καὶ διανοίας*; verum partitio haec non antiquitus coepta et constituta erat, sed inventa quidem probataque jam saeculo primo a. Chr., tamen ab viris doctis non ante aevum secundum accipiebatur et quam religiosissime retinebatur; quod Alexander, Numenii filius [1]), reliquique rhetores, qui insunt Walzii libro VIII. Rh. Gr.

1) Alexander Numenius, a nonnullis Numenii filius dictus, floruit aetate Antoninorum scripsitque *περὶ τῶν τῆς διανοίας σχημάτων καὶ περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων.* Cf. de eo Walz. Rhett. graec. VIII. Westermann, Gesch. d. gr. Ber. §. 95, 13. et §. 104, 7.

praeclare docent. Imo etiam Quintilianus, cujus institutiones oratoriae sub primi saeculi finem confectae sunt, libro IX. cp. 1. divisione illa utitur, ita ut cp. 2. de sententiarum, cp. 3. de verborum ageret figuris. Sed si nostrum accuratius inspiciamus scriptorem, non effugiet animos, illum nominasse quidem utrumque figurarum genus, neque vero, quod scriptor tertii saeculi sine ullo dubio debuit, ut quae divisio sit constituta omnibusque nota, sed quae suo tempore nondum universe laudetur ac probetur. Itaque adjicit particulam *που*: *διссὰ δέ που ταῦτα* et *ἥ τε ποιὰ τῶν σχημάτων πλάσις*; neque *διανοίας* verbum exhibet, verum vocabulo inusitato utitur: *νοήσεως*. Dividebantur autem illo modo lumina, quae Cicero dicit orationis, jam temporibus M. ipsius Tullii: Gorgias enim sophista ac rhetor, qui non componendus est cum Gorgia illo Leontino[1]) quemque praeceptorem Ciceronis junioris fuisse scimus[2]), scripsit librum quatuor voluminibus *περὶ σχημάτων διανοίας καὶ λέξεως*[3]), qui oblitteratus temporum decursu, tamen aliqua ratione ad nostram usque memoriam pervenit, quippe quum Rutilius Lupus, rhetor Romanus, Tiberio imperii praeside degens, compendiaria quadam via eum contraxisset

1) Quint. IX, 2. Rutilius quidem Lupus in utroque genere (sc. figurarum) comparationis figuram posuit idque *ἀντίθετον* vocat. Praeter illa vero, quae Cicero inter lumina posuit sententiarum, multa alia et idem Rutilius Gorgiam secutus, non illum Leontinum, sed alium *sui temporis*, cujus quatuor libros in unum suum transtulit, et Celsus videlicet Rutilio accedens, posuerunt schemata. Tempus heic non accuratissime a Quintiliano circumscribi animadverterunt viri docti, cf. Westermann, Gesch. d. gr. Ber. §. 82, 8; 83, 15; röm. Ber. §. 79, 16.

2) Cf. epistolam Ciceronis filii, ad div. XVI, 21: „De Gorgia autem quod mihi scribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis: sed omnia postposui, dummodo praeceptis patris parerem; *διαῤῥήδην* enim scripserat, ut eum dimitterem statim“. Gorgias enim ad potum voluptatemque Ciceronis filium allicere dicebatur, cf. Plut. Cic. 24. Senec. controv. I, 4. p. 101. Plin. H. N. XIV. extr.

3) Cf. verba Quintiliani modo laudata; praeterea omnino Rutil. Lupum.

in unius [1]) voluminis angustias, quas inscribi voluit: de figuris sententiarum et elocutionis. Neque vero mittendum est, divisionem illam in ejus libro non semper dilucide ac manifeste servari et ad finem usque retineri, quum misceantur non modo semel, sed plerumque sententiarum ac verborum figurae. Quae si diligentius circumspiciamus, intelligitur, fuisse aliquando tempus, quo varie peritissimi virorum doctorum de hacce distributione schematum judicarent; atqui stabilitur hoc Quintiliani verbis, qui manifeste libro IX. cp. 1 [2]) certiores nos facit, per longius temporis spatium haesitasse figurarum scriptores, num illam aliamne praeferant divisionem schematum. Atque hoc ipso tempore, cujus initio praeterea Rutilius quoque asserendus est, vixisse verisimile est nostrum scriptorem, qui pernovit quidem elocutionis et sensus figuras neque tamen in iis, quae octavam sequuntur, sectionibus, quum pertractaret has res, illam divisionem, non amplius a se memoratam, adhibere conatur. Ergo haec quoque controversia non perfringit, sed etiam stabilit judicium nostrum, quod medio primo saeculo, ubi fluctuarunt virorum doctorum de luminibus orationis sententiae, librum de sublimitate scriptum putemus.

Venimus ad alia minoris momenti argumenta, quae in transcursu disserenda sunt, ut nostram magis stabiliamus sententiam. Atque primum est, cujus obiter jam meminimus, quum de Ammonio disputavimus (cf. pg. 12.). Certum enim

---

1) Rutilii opus, quale nunc est, constat ex duobus libris. dum Quintil. l. l. illum unum tantum composuisse tradit; quare Ruhnken. in praef. ad Rutil. p. XVI sqq. jure concludit non integrum servatum esse Rutilianum commentarium, praesertim quum Quint. ex eo nonnulla laudet, quae adhuc non leguntur.

2) Quint. inst. or. IX. cp. 1. p. 635. ed. Lugd. Bat. Est autem non mediocris inter auctores dissensio, et quae vis nominis ejus, et quot genera, et quae quam multaeque sint species. p. 637. Inter plurimos enim quod sciam, consensum est duas ejus esse partes: διανοίας, id est mentis, vel sensus, vel sententiarum, nam iis omnibus modis dictum est: et λέξεως, id est verborum vel dictionis vel elocutionis, vel sermonis vel orationis. Nam et variatur, et nihil refert.

est, scriptorem illo loco, ubi de Platonis cum Homero similitudine loquitur (Sect. XIII, 3), silentio non praetermissurum fuisse (si, quod prorsus denegandum, post primam saeculi secundi partem vixerit.) Telephum Pergamenum, quem Suidas s. v. *περὶ Ὁμήρου καὶ Πλάτωνος συμφωνίας* scripsisse tradit [1]). Telephus autem, rhetor haud ignotus, idem est, qui Homerum primum fuisse ac summum contenderat oratorem volumine scripto *περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον ῥητορικῆς* (Cf. Spengel Artt. serr. p. 211). Hunc igitur rhetorem, qualiscunque praeterea fuit, negligere non debuit, quum Homeri Platonisque similitudinem, quam libro Telephus exposuerat, disceptaret, auctor tam diligens, quam se Pseudolonginus per totam commentationem exhibet. — Deinde memoratum volo, de hoc medii primi saeculi tempore explicandum etiam esse, si in sect. XIII, 2. de Pythia ejusque divino quasi furore dicatur [2]): constat enim inde ab aetate Domitiani imperatoris non amplius responsa dedisse quaerentibus oraculum Delphicum, cujus rei locupletissimus auctor est Juvenalis in Sat. VI, 514 [3]). Postero autem tempore etiamsi per Hadrianum [4]) restitutum sit oracu-

---

1) Suid. s. *Τήλεφος, Περγαμηνὸς γραμματικός. ἔγραψε καὶ αὐτὸς, ἐν οἷς παρατίθεται, πόσα χρὴ εἰδέναι τὸν γραμματικόν.* Jam sequuntur multi scriptorum ejus tituli; deinde pergitur: *Περὶ τῆς Ὁμήρου καὶ Πλάτωνος συμφωνίας.*

2) Sect. XIII, 2: *Πολλοὶ γὰρ ἀλλοτρίῳ θεοφοροῦνται πνεύματι τὸν αὐτὸν τρόπον, ὃν καὶ τὴν Πυθίαν λόγος ἔχει, τρίποδι πλησιάζουσαν, (ἔνθα ῥῆγμά ἐστι, γῆς ἀναπνεῖν, ὥς φασιν, ἀτμὸν ἔνθεον) αὐτόθεν ἐγκύμονα τῆς δαιμονίου καθισταμένην δυνάμεως, παραυτίκα χρησμῳδεῖν κατ' ἐπίπνοιαν.*

3) Juven. VI, 553:

Chaldaeis sed major erit fiducia: quidquid
Dixerit astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis; quoniam Delphis oracula cessant
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Quanto auctoritas oraculi tunc imminuta fuerit, testis est Plut. in libro: *περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα τὴν Πυθίαν*, qui si capiti IX fidem facimus paullo post Herculanum Pompejosque deletos circa a. 80 p. Chr. compositus est.

4) Describit hunc novum ut ita dicam florem Delphici oraculi

lum, mox jam Caracalla imperante prorsus periit; quare Longinus rhetor non potuisset loqui de Pythia vaticinante etiam suis ipsius temporibus. Quae si animo reputamus, accedit fortasse aliquid ad nostram opinionem de tempore libri, quem paullo ante Domitiani imperium, quum oraculum nondum conticuisset, compositum putamus.

Accedit denique extrema tota operis particula, quae ab interpretibus non satis potest laudibus efferri. Neque sine bona caussa; aperte enim omnia divinum quoddam ingenium spirant, quodsi comparatur cum aliis litterarum monumentis mira quaedam cum dialogo Taciteo de caussis corruptae eloquentiae similitudo apparet, non solum rerum ac sententiarum, sed etiam philosophandi atque argumentandi rationis; quam congruentiam miror quod nemo ex doctorum numero aut animadverterit adhuc aut in singulis rebus prosecutus sit. Etenim fere easdem partes, quas apud Tacitum Messala Vipstanus (cp. 25—39 dial.), heic philosophus quidam suscipit, quem non omnino fictum, sed modo non nominatim appellatum censeo ob Vespasiani in philosophos, maxime stoicos, quorum sectae deditus apparet hic sapientiae professor, odium atque iracundiam excitatam vocibus eorum liberis de re publica proditis. At medius fidius etiam sine nomine nomen aeternum sibi paravit philosophus hic dignusque videtur, cujus verba vere divina cum aureis Taciti conferre audeamus. Sed antequam propius accedamus ad philosophi orationem ipsam, illud ab initio monendum erit, saeculo tertio sub imperatore Aureliano neminem unquam quaerere potuisse, qua de caussa boni oratores tunc temporis prorsus nulli essent; illa enim aetate in ore omnium, quibus non praestricta erat animi acies, caussae fuerunt corruptae aut potius exstinctae eloquentiae: quarum quidem praecipuae erant, quod usus quotidianae vitae omnisque libere vitam instituendi facultas prorsus sublata esset. Quid plura?

Plutarchus. Nummorum Delphicorum usque ad Caracallae tempora supersunt, quo verisimile fit, tunc etiam omnino oraculum iterum periisse, etiamsi Theodosius demum in aeternum finem ac silentium ei imponeret. Paully, Realencykl. s. Delphi.

Tempore, quo Longinus Neoplatonicus floruit, nihil ineptius fuisset, quam amissam libertatem multa lugere vociferatione atque de inopia oratorum praestantium verba facere, quum non adessent res caussaeque et negotia, quae ab oratoribus administrarentur, quae adjuvarentur, quae ad prosperum usque exitum absolverentur. Controversia est inter viros doctos, num re vera philosophus temporis illius omnia haec disseruerit, finxeritne sibi auctor aliquem, cui propter imperatoris Vespasiani odium in sapientiae doctores traderet loquentis partes. Quod etsi per se summi foret momenti, si posset nomen philosophi ab oblivione vindicari, tamen equidem in conjecturas descendere nolim; quamquam ipse non ficticium quendam, sed verum atque illo tempore viventem philosophum haec disputasse pro certo sentiam, cujus tamen nomen auctor, ne homini periculum inde capitis existeret, non aperiebat lectoribus suis. Sed hoc, quoad certiora quaedam prolata erunt, in uniuscujusque arbitratu relinquatur.

Sed jam vertamus ad singula. Age incipiamus sectionis XLIV. principio: „Ἐκεῖνο μέντοι λοιπὸν... ὅπερ ἐζήτησέ τις τῶν φιλοσόφων προσέναγχος, „Θαῦμά μ' ἔχει", λέγων, „ὡς ἀμέλει καὶ ἑτέρους πολλοὺς, πῶς ποτε κατὰ τὸν ἡμέτερον αἰῶνα πιθαναὶ μὲν ἐπ' ἄκρον καὶ πολιτικαὶ, δριμεῖαί τε καὶ ἐντρεχεῖς, καὶ μάλιστα πρὸς ἡδονὰς λόγων εὔφοροι, ὑψηλαὶ δὲ λίαν καὶ ὑπερμεγέθεις, πλὴν εἰ μή τι σπάνιον, οὐκέτι γίνονται φύσεις". Eadem est Taciti in dialogo materies; eadem, quae philosopho illi, Messalae ratio has res caussasque corruptae eloquentiae exponendi: uterque enim propter amissam libertatem depravatosque hominum mores contendit, oratores aut omnino homines sublimi ingenio praeditos suo saeculo existere non posse. (Cf. Dial. 28; De subl. XLIV, 2). Sect. igitur XLIV. §. 2. praecipuam caussam corruptae eloquentiae in amissa libertate ponit, quam tamen sententiam non ut suam ausus est pronuntiare, metuens, ni fallor, invidiam insidiasque principum, maxime Vespasiani tunc regnantis, quem jam supra (pg. 59.) liberales de rebus publicis administrandis opiniones aegerrime tulisse diximus, quamobrem „ἦ, νὴ Δί", ait, „πιστευτέον ἐκείνῳ τῷ

θρυλλουμένῳ, ὡς ἡ δημοκρατία τῶν μεγάλων ἀγαθὴ τιθηνὸς, ᾗ μόνῃ σχεδὸν καὶ συνήκμασαν οἱ περὶ λόγους δεινοὶ καὶ συναπέθανον"; an verum est illud vulgo dictum ac decantatum, democratiam nutricem quasi esse eloquentiae et excitare laudibus praemiisque cuique propositis summa in dicendo ingenia? Nostrae autem aetatis homines, pergit philosophus, propter quod neminem ex principibus oratoriae artis aut viderunt aut audierunt, quod inde a pueris servitio justo continentur et opprimuntur, oratores fieri excellentes non possunt, sed magniloqui gloriabundique adulatores. Haec cum desperatione quadam omnium rerum effata nullo modo possunt addici seculo tertio, ubi libertatis quum species, tum spes omnis jamdiu praeterierat; verum tempore scripta videntur, quo nondum ex hominum animis memoria perditae et fiducia recuperandae liberae civitatis prorsus excesserat. Est elatae atque ut ita dicam stoicae mentis, tanta cum severitate et gravitate dijudicare hominum pravitates laudataque libertatis praestantia meliores humani generis ad ipsum libertatis studium exagitare. Quis vero audeat, virum tali sapientia imbutum dignumque qui viveret antiquis reipublicae temporibus, Aurelianeae aetati, qua sophisticis rixis impletus fuit orbis terrarum, adjudicare! Cui nam legenti non in mentem potius venit Cornelius Tacitus, qui in dialogo saepissime hanc potissimum caussam, rempublicam dico subversam, urget, qua efficiatur, ut jam suo saeculo nemo excellens orator habendus sit! Cf. simillima in vit. Agricol. cp. II: „Scilicet illo igne vocem populi Rom. et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, *expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret.* Dedimus profecto grande patientiae documentum: et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, *ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio*". Haec est δουλεία illa δικαία philosophi nostri, justa propterea, quod non audemus vincula perfringere, quibus adstricti sumus: libertate enim non digni sunt, qui eam non assequi sciunt, iique jure servi, qui libere vivere non tenent. Haec divina

illa sunt nostri (liceat verbo uti) Taciti graeci. Οἱ δὲ νῦν ἐοίκαμεν παιδομαθεῖς δουλείας: qui nunc sunt, jam a pueris servitutem tolerarunt; videtur hisce philosophiae magister significare, patres eorum, qui sua ipsius aetate degant, tempora vidisse etiam liberae reipublicae, suos autem aequales primos esse, qui a pueris servitutis jugo oppressi coercerentur; quod si verum protulimus, hoc quoque indicaret librum non ultra fines imperii Vespasianei conscriptum esse, quippe quum (si tempora reputes), ii, qui sub Vespasiano provectiores erant aetate, primi essent, qui sub imperatorum dominatu et nati essent et educati. Verum hactenus philosophiae professor, stoicae sectae adscriptus, si ex mentis rigore concludi potest in sapientiae disciplinam.

Respondet deinde hisce Pseudolonginus ipse longiore fere usque ad extrema libelli expositione, quae sententiarum excellentia ac verborum summa sublimitate non posthabenda erit antecedenti explicationi philosophicae. „Ῥᾴδιον“, inquit, „ὦ βέλτιστε καὶ ἴδιον ἀνθρώπου, τὸ καταμέμφεσθαι τὰ ἀεὶ παρόντα· ὅρα δὲ, μὴ ποτ᾽ ἄρα καὶ ἡ τῆς οἰκουμένης εἰρήνη διαφθείρει τὰς μεγάλας φύσεις, πολὺ δὲ μᾶλλον ὁ κατέχων ἡμῶν τὰς ἐπιθυμίας ἀπεριόριστος οὑτοσὶ πόλεμος“ κτλ. Pacem illam, quam affirmat orbem terrarum tenere, nonnulli, quibus Amati adnumerandus, ad Augusti tempora retulerunt, quum, (quanam in re equidem consentio,) sub imperatore Aureliano fere ne per diem quidem bello imperium Romanum liberatum fuisset. Aurelianus enim, cui per quinque tantum annorum spatium obtemperabat [1]) imperium, primum cum Alemannis, tunc cum Zenobia, deinde cum Tetrico Gallo bella gessit, postremo in ipsa expeditione contra Persas facta interemtus est; propter quam militiae continuitatem nomen ei „manu ad ferrum“ a militibus jure inditum est. At vero sub Vespasiano ne species quidem belli aderat, postquam Judaicum bellum, quod ipse inceperat, jam anno

1) Cf. de Aureliano ejusque rebus gestis Vopiscum, Zosimum, Zonaram, Eutropium omnino Pauly, Realencycl. s. v. Aurelianus.

imperii primo expugnatum est; quare Vespasiano praesidente par erat de pace verba facere, quae totum terrarum orbem obtineret, non autem Aureliano imperante, qui quinque imperii sui annos perpetuo armorum strepitu replevit. De Augusti vero aevo cogitari nequit propter caussas illas omnes, quae (supra pg. 17 sqq. collecta) cohibent, ne illius aetate scriptus sit commentarius de sublimitate. Ergo pace quoque commemorata Vespasiani principatus perspicue significatur. Sed ut ad verba ipsa Pseudolongini nostri reflectam, sunt haec quoque non modo similia, sed fere eadem, atque Tacitea illa in dialogi §. 15: „Tum Aper: Non desinis, Messala, *vetera tantum et antiqua mirari*, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere? Nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae, *neminem hoc tempore oratorem esse contenderes*“. Contendit igitur is, qui scripsit commentationem nostram, non solum libertatem oppressam, sed etiam et praecipue hominum mores depravatos impedire, quominus existant, qui in eloquentia aliquid consequi possint; avaritia enim, ait, luxuria, omnisque generis insidiae ceteris paratae non patiuntur, ut aliquis se abstineat hisce cupiditatibus; quare homo vere liber integerque vitae reperiri non potest. Quae quum nonnullis amplius explanasset, suaque tempora sceleribus inquinata tanta cum veritate, quam ira descripsisset, sub finem judicium facit de suis aequalibus acerbissimum, etiamsi verum (§. 10): „Ἀλλὰ μήποτε τοῖς τοιούτοις, οἷοί περ ἐσμὲν ἡμεῖς, ἄμεινον ἄρχεσθαι, ἢ ἐλευθέροις εἶναι· ἐπεὶ τοίγε ἀφεθεῖσαι τὸ σύνολον, ὡς ἐξ εἱρκτῆς ἄφετοι, κατὰ τῶν πλησίον αἱ πλεονεξίαι κἂν ἐπικαύσειαν τοῖς κακοῖς τὴν οἰκουμένην“: sed timeo, ne nobis, quales nunc quidem sumus, melius sit, servitute, quam libertate vitam degere. Facultatem igitur ipsam aequalibus suis inesse denegat, republica libera fruendi. Durum sane ac fere intolerabile verbum, etsi ex animi integerrimi iracundia in nequitiam humanam exortum! En, Taciti dialogum cum his conferamus, cp. 29: „quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae parvulos adsuefaciunt, sed lasciviae et dicacitati; *per quae paullatim impudentia inrepit*

et sui alienique contemptus. Jam vero propria et peculiaria hujus urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor et glandiatorum equorumque studia: quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit"? et qu. seq. Innumeris praeterea aliis locis mira quaedam cognoscitur similitudo; sed omnes illos percurrere abest a commentarii hujus finibus, facillime autem in unaquaque fere plagula inveniuntur. Quae quum sint non solum similia, sed fere eadem, adest nullum nisi dictionis et linguarum discrimen, ut quae Tacitus latinis, ea Pseudolonginum dixeris graecis exposuisse litteris.

Haec omnia una cum rebus supra memoratis et cum elegantia praestantiaque dictionis permovent me, ut eodem fere tempore atque dialogum Taciteum, censeam hunc quoque de sublimitate orationis tractatum compositum. Tacitus autem cp. 17. sermonem suum de caussis corruptae eloquentiae institutum esse „sexta felicis hujus principatus statione exhibet, qua Vespasianus rempublicam fovet", i. e. *anno 75 p. Chr.*, et paullo post conscriptus quoque dialogus, etsi editus demum post Domitiani mortem videtur [1]). Sub idem igitur tempus et, si vera conjicimus, paullo post Vespasiani edictum, quo philosophos, imprimis stoicos ex urbe expellebat [2]), compositus est noster libellus. Edictum autem illud, quo anno editum sit, nusquam proditur; nisi ex Dionis Cassii lib. LXVI, 13, ubi haec expulsio narratur, jure intelligimus, a. 74 aut paullo post Stoicos et Cynicos urbe ejectos esse. Capite enim 15. illius

1) De hac re videas Orellii excursum primum ad dialogum in edit. sua.

2) Expellebatur cum his ingenii liberrimi vir Demetrius Suniacus, Cynicae adscriptus sectae cf. Suet. Vespas. 13: Demetrium Cynicum in itinere obviam sibi *post damnationem*, ac neque assurgere neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit *Canem* appellare. — Demetrius, natione Suniensis, Corinthi solebat philosophari Romamque cum Apollonio venerat. Cf. Olearium ad Philostr. p. 164. et Mosen Solanum ad Luciani Toxarin. cp. 27. T. II. p. 536.

libri Dio Cassius incipit res a. 75 gestas exponere, quamobrem quae capite 12. tradit, anno 75 aut paullo ante gesta videntur[3]). Ad haec in universum verisimilius est expulsionem philosophorum posteriore imperii Vespasianei tempore factam esse, quum sapientiae professores multum in eo principe, praecipue parsimoniam aut potius avaritiam in administrandis pecuniis publicis vituperare incepissent. De hoc igitur tempore circiter annum 74, ad quem jam supra alia quoque testimonia deducebant, nobis erit cogitandum. Etenim in philosophica illa sermocinatione (sect. XLIV.) multa leguntur, quae aperte in-

---

1) Dio Cass. LXVI, 13: Ὡς δ' οὖν καὶ ἄλλοι πολλοὶ ἐκ τῶν στωϊκῶν καλουμένων λόγων προαχθέντες, μεθ' ὧν καὶ Δημήτριος ὁ κυνικός, συχνὰ καὶ οὐκ ἐπιτήδεια τοῖς παροῦσι, δημοσίᾳ, τῷ τῆς φιλοσοφίας προσχήματι καταχρώμενοι, διελέγοντο κἀκ τούτου καὶ ὑποδιέφερόν τινας, ἔπεισεν ὁ Μουκιανὸς τὸν Οὐεσπασιανὸν, πάντας τοὺς τοιούτους ἐκ τῆς πόλεως ἐκβαλεῖν, εἰπὼν ὀργῇ μᾶλλον ἢ φιλολογίᾳ τινὶ πολλὰ κατ' αὐτῶν. καὶ πάντας αὐτίκα τοὺς φιλοσόφους ὁ Οὐεσπασιανὸς, πλὴν τοῦ Μουσωνίου, ἐκ τῆς Ῥώμης ἐξέβαλε· τὸν δὲ δὴ Δημήτριον καὶ τὸν Ὁστίλιον καὶ ἐς νήσους κατέκλεισε. καὶ ὁ μὲν Ὁστίλιος, εἰ καὶ τὰ μάλιστα μὴ ἐπαύσατο, περὶ τῆς φυγῆς ἀκούσας, (ἔτυχε γὰρ διαλεγόμενός τινι) ἀλλὰ καὶ πολλῷ πλείω κατὰ τῆς μοναρχίας κατέδραμεν, ὅμως παραχρῆμα μετέστη· τῷ δὲ Δημητρίῳ μηδ' ὣς ὑπείκοντι, ἐκέλευσεν ὁ Οὐεσπασιανὸς λεχθῆναι, ὅτι „Σὺ μὲν πάντα ποιεῖς ἵνα σε ἀποκτείνω, ἐγὼ δὲ κύνα ὑλακτοῦντα οὐ φονεύω". Commotus igitur Muciani consilio et precibus expulit Vespasianus stoicos cynicosque, qui imprimis inter philosophos principem insolentius persecuti videntur. Cf. praeterea Eutrop. VII, 19: Nec facile ante eum (Vespasianum) cujusquam principis vel major est liberalitas comperta, vel justior. Placidissimae lenitatis, ut qui majestatis quoque contra se reos non facile puniret ultra exsilii poenam . . . VIII, 20: Offensarum et inimicitiarum immemor fuit: convicia a caussidicis et philosophis in se dicta, leniter tulit. Zonar. p. 577. C. μετὰ τοῦτο (post triumphum Judaicum adeoque post A. U. C. 824. p. Chr. n. 70) διδασκάλους ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ τῆς Λατίνων καὶ τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας κατέστησε, μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φέροντας. κατηγορίαν δὲ ὁ Μουκιανὸς τῶν φιλοσόφων πολλὴν ποιησάμενος ἔπεισε etc. Zonaras igitur tempore accuratius non circumscripto, in universum post finitum a. 70 Judaicum bellum narrat philosophiae doctores ejectos esse. Ad annum U. C. 828 sive p. Chr. 74 aut sequentem hoc exilium refert vir eruditus Jo. Masson in vit. Plin. jun. p 15 sq.

festam non solum eloquentiae, sed etiam philosophiae respiciunt aetatem, quae homini libertatis amanti eo molestior et intolerabilior esse oportebat, quod a principibus ipsis philosophia, genitrix quasi atque mater libertatis, opprimeretur. Insectationem autem philosophorum sub Domitiano ortam non licet intelligere, quippe quae non modo singulos professores, sicut Vespasianea, sed omnes fere ex urbe summoverit eoque lugubriores philosophi nostri querelas excitatura fuisset, si illam voluisset significare. Quare hoc quidem licet pro certo accipere et constituere, commentationem περὶ ὕψους compositam esse non posse, nisi sub imperatore Vespasiano et hujus quidem principatus quinto aut sexto anno, hoc est, anno p. Chr. n. 74 aut 75.

Sed simulac auctoris aetatem, quantum potest, circumscripsimus, statim nova quaestio oritur, quisnam homo fuerit ingenium illud, cui debemus librum praestantissimum; estque haec quaestio eo majoris momenti, quo magis intelligimus, posse nos eam non ea, qua velimus, accuratione solvere. Postquam enim argumentis luculentissimis omnis de Longino Cassio Neoplatonico sententia concidit, duae praecipue inveniuntur viae, quibus nomen auctoris assequi possumus, quarum equidem vereor, ne neutrâ liceat eo quo volumus pervenire. Prima autem ratio est, ut scriptor uno ornetur ex nominibus, quae in fronte codicis leguntur: Longini aut Dionysii; altera ut ex libris, quos ipse ut a se confectos tradidit, liceat scriptorem invenire, qui de iisdem rebus disseruerit cujusque vita ad hoc medium saeculi primi spatium referri possit. Quas vias celeriter nunc percurramus.

Atqui Longini nomen habuisse scriptorem haud credibile est, quum praeter Cassium illum Longinum tertii saeculi, a quo antea liber περὶ ὕψους putabatur confectus esse, nemo usquam Longini nomine celebraretur in litterarum annalibus; qui enim a Tacito[1]) nonnunquam laudatur C. Cassius Longinus,

1) Cf. verbi causa Tac. Ann. XII, 11, de juris peritia: XII, 12; XIII, 48; de exsilio cf. Ann. XVI, 8: Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius et senectus ejus exspectabatur. Secundum Pomp. de orig. jur. §. 47. revocabatur a Vespasiano.

jurisconsultus peritissimus, is Romana fuit stirpe et in exilium actus ab Nerone imperatore neque vero omnino libros composuisse videtur. Quare de Romano hoc jurisconsulto omninoque de Longini nomine cogitari nequit.

Sed Dionysii quoque nomen vix aliqua cum probabilitati scriptori imponi potest. Atque hoc in loco licet rejicere in ea, quae pg. 17 sqq. protulimus quibusque probasse nos putamus, Dionysium, rhetorem Halicarnasseum, aut alium rhetorem Augustei aevi esse non posse, qui confecerit tanti ingenii monumentum. Magis fortasse conveniat, librum asserere Dionysio cuidam, Glauci filio, Alexandrino, cujus omnis notitia ex Suidae [1]) verbis proficiscitur; Suidas enim vixisse illum narrat sub imperatoribus ab Nerone ad Trajanum usque praepositumque bibliothecis imperatorumque ab epistolis, responsis legationibusque fuisse. Sed etiamsi aetas eadem sit, tamen monendum erit, cetera nequaquam in nostrum scriptorem quadrare: Dionysius enim quum esset Chaeremonis discipulus et successor, item atque Chaeremon ipse stoicus [2]) fuit. At qui de sublimitate elocutionis disseruit, nequaquam stoicae sectator disciplinae apparet; sed tota ejus ratio rerum considerandarum, imo etiam dictionis elatus quidam modus Platonem doctrinamque redolet Platonicam; et praecipue hac in re perspicitur mira quaedam scriptoris cum Plutarcho similitudo, qui item Platonem imitari summum habet. Intelligimus hunc ingeniorum consensum maxime in extrema sectione, ubi is, qui

1) Suid. s. *Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς, ὁ Γλαύκου υἱός, γραμματικός, ὅστις ἀπὸ Νέρωνος συνῆν καὶ τοῖς μέχρι Τραϊανοῦ, καὶ τῶν βιβλιοθηκῶν προὔστη, καὶ ἐπὶ τῶν ἐπιστολῶν καὶ πρεσβειῶν ἐγένετο καὶ ἀποκριμάτων. ἦν δὲ καὶ διδάσκαλος Παρθενίου τοῦ γραμματικοῦ. μαθητὴς δὲ Χαιρήμονος, τοῦ φιλοσόφου, ὃν καὶ διεδέξατο ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.* Parthenius autem propter temporis distantiam alius est, quam notissimus Virgilii praeceptor; Athen. XI. p. 467. tanquam in re satis celebrata: *Παρθένιος*, ait, *ὁ τοῦ Διονυσίου* etc.; eadem verba leguntur ap. Ath. XI. p. 501.

2) Chaeremonis fragmentum exstat ap. Beck. anecd. II, p. 515; omnino de eo Voss, de historr. gr. II, 1 init. p. 209 sq. ed. Westermann.

scripsit librum περὶ ὕψους philosophi illius sententias stoicorum simillimas suis argumentis refutare studet. Insuper fere omnes commentationis particulae indicant scriptorem diu multumque in Platone versatum esse; quare hujus rei argumenta proferre non erit opus. Sed eadem haec Platonica, ut verbo utar, inclinatio a stoica doctrina toto coelo remota impedimento est, quominus Dionysium, Glauci filium, aperte stoicum de sublimitate scripsisse putemus. Hac igitur via nihil certi de nomine scriptoris assequi licet.

Restat altera, ut libri ab Pseudolongino ipso compositi diligenter cum similibus aliorum conferantur, num forte eo modo cognoscatur scriptor noster. Atque inter hos praecipue observandus erit, quem sect. VIII, 1 accit commentarium de Xenophonte: πρῶτον μὲν καὶ κράτιστον, τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, ὡς κἀν τοῖς περὶ Ξενοφῶντος ὡρισάμεθα. In quibus ut hoc statim moneam, equidem non possum adduci in eam sententiam, quam fortasse quis probaverit, fuisse hoc opus commentarium ad Xenophontis scripta; nam talis materies jejunior videtur, quam, ut a tali viro tractaretur; disseruisse igitur illum mihi fingo in libro illo de ingenio, de indole, de philosophia, de dictionis genere Xenophontis, ita ut optima quaeque ex illius scriptis in commentario suo recenseret. Magnam autem omnino impendebant antiqui rhetores curam scriptis Xenophontis, inter quos missum faciamus Aelii Harpocrationis librum περὶ τῶν παρὰ Ξενοφῶντι τάξεων [1]) propter temporum discrepantiam. Verum praeter hunc Suid. nonnullorum libros recenset, qui de Xenophonte compositi sunt; sed neque illorum scriptorum ullus, quantum nobis dijudicare licet, librum nostrum de sublimitate edidit. Est autem primum Zeno quidam [2]) memorandus, quem

1) Suid. s. Ἁρποκρατίων, ὁ Αἴλιος χρηματίσας, σοφιστής. ἔγραψε περὶ τῶν δοκούντων τοῖς ῥήτορσιν ἠγνοῆσθαι, καὶ ὑποθέσεις τῶν λόγων Ὑπερίδου. Περὶ τοῦ κατεψεῦσθαι τὴν Ἡροδότου ἱστορίαν. Περὶ τῶν παρὰ Ξενοφῶντα τάξεων. Περὶ τέχνης ῥητορικῆς. Περὶ ἰδεῶν.

2) Suid. s. Ζήνων, Κιτιεύς, εἰ δὲ ῥήτωρ τις ἦν ἢ φιλόσοφος ἄδηλον. ἔγραψε περὶ στάσεων. Περὶ σχημάτων. Ὑπόμνημα εἰς Ξενοφῶντα,

cum stoicorum principe confudisse et Citieum appellasse videtur Suidas, quemque adnotationes in Xenophontis opera scripsisse tradit; at quum ipse neque de aetate illius compertum quidquam haberet neque omnino sciret, num philosophus rhetorne fuisset, Zeno non amplius hac in re numerandus erit. Quem praeterea Suidae lexicon Metrophanem 1) περὶ χαρακτῆρος Ξενοφῶντος litteris mandasse perhibet, illum propterea, quod eum etiam de Nicostrato et Philostrato, quos secundo et tertio saeculo vixisse constat, Suidas affirmat scripsisse, posteriore arbitramur vixisse tempore, quam nostri commentarii auctor, si bona sequimur argumenta, vitam degebat. Similiter modo verbo attingendus erit Heron, Cotyos filius, Atheniensis 2), quem Suidas inter Xenophontis commentatores prodidit; hic enim videtur, si ceterorum illius librorum inscriptiones conferas, multo post primum Christianae aetatis saeculum vixisse. Neque Theon Alexandrinus 3) ullo loco habendus erit, eandem ob caussam, quod non ingenii Xenophontei quasi imaginem depinxerit, sed notas tantum scholiorum in modum composuerit

---

εἰς Λυσίαν, εἰς Δημοσθένην. Περὶ ἐπιχειρημάτων. **Monendum est, hunc de Xenophonte librum** *ὑπόμνημα* **fuisse, i. e. commentarium; quod Pseudolongini librum fuisse non verisimile est. Bernhardy ad h. Suidae l. addit, nomen** *Κιτιεὺς* **a mala manu accessisse et dici videri Zenonem Myndium, cujus meminit Zenob. II, 30.**

1) **Suid. s** *Μητροφάνης, Κορνηλιανοῦ ῥήτορος, Λεβαδιεύς. πόλις ἐστὶ Βοιωτίας ἡ Λεβαδεία. σοφιστής. Περὶ τῶν χαρακτήρων Πλάτωνος, Ξενοφῶντος, Νικοστράτου, Φιλοστράτου. Μελέτας. Λόγους Πανηγυρικούς.*

2) **Suid. s.** *Ἥρων Κώτυος, Ἀθηναῖος. ῥήτωρ τὰς ἐν Ἀθήναις δίκας γεγραφώς. εἶτα ἐξήγησιν Δεινάρχου. ὑπομνήματα εἰς Ἡρόδοτον, Ξενοφῶντα, Θουκυδίδην. Κεκριμένων ὀνομάτων βίβλια γ'. ἐπιτομὴν τῶν Ἡρακλείδου ἱστοριῶν. περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων καὶ τῶν λόγων, οἷς ἐνίκησαν πρὸς ἀλλήλους ἀγωνιζόμενοι.*

3) **Suid. s.** *Θέων, Ἀλεξανδρεύς, σοφιστής, ὃς ἐχρημάτισεν Αἴλιος. ἔγραψε τέχνην. περὶ προγυμνασμάτων. Ὑπόμνημα εἰς τὸν Ξενοφῶντα, εἰς τὸν Ἰσοκράτην, εἰς Δημοσθένην. Ῥητορικὰς ὑποθέσεις καὶ ζητήματα περὶ συντάξεως λόγου καὶ ἄλλα πλείονα.* **Bernhardy ad h. l. putat, huic Theoni attribuenda esse Scholia in Arati Phaenomena et Diosemeia, quae hodie exstant.**

in Xenophontis scripta, etiamsi hic, quod idem tradit Suidas, scripsisse quoque dicitur ζητήματα περὶ συντάξεως λόγου, cui commentationi similem, ut a se confectam, commemorat Pseudolonginus in sect. XXXIX, 1: Ἡ διὰ τῶν λόγων αὕτη ποιὰ σύνθεσις· ὑπὲρ ἧς ἐν δυσὶν ἀποχρώντως ἀποδεδωκότες συντάγμασιν, ὅσαγε τῆς θεωρίας ἦν ἡμῖν ἐφικτὰ etc. Sed quum Suidas omnium, qui eodem Theonis nomine utuntur, scripta permisceat, non facile probandum erit, cuinam eorum adjudicanda sit haec in Xenophontem commentatio, etiamsi potest idem esse Theon, cujus una cum Caecilio Calactino rhetore meminit Quintilianus [1]), ita ut aequalis Caecilii aut paullo aetate ab eo distans videatur; sed Aelius Theon, cujus progymnasmata adhuc supersunt, propter temporum discrepantiam et propter exile scriptorum ejus genus non potest nostrum de elocutionis sublimitate tractatum praestantia excellentem composuisse. — Multa, ne dicam plurima, Tiberio [2]) cuidam videntur favere, philosopho et sophistae, quem Suidas affirmat περὶ λόγου τάξεως καὶ συνθέσεως et περὶ Δημοσθένους καὶ Ξενοφῶντος scripsisse. Sed etiamsi mittamus, quod non perspicere licet, num uno an duobus libris de Demosthene ac Xenophonte disputaverit, tamen Tiberius ille, si Wachlero (Hdbch. d. Gesch. d. Litt. I. p. 148) fidem facimus, tertio asserendus est saeculo p. Chr. idemque sine dubio cum Tiberio, cujus opus περὶ σχημάτων apud De-

1) Cf. Quint. inst. or. III, 6, 48: quum de *statibus* loqueretur: Fecerunt alii totidem status, sed alios: an sit, quid sit, quale sit, quantum sit, ut *Caecilius et Theon*. Turnob. in not. ad h. l.: Theon hic est, inquit, cujus adhuc circumferuntur progymnasmata rhetorica; qua in re errare illum, ex supra dictis sequitur. Omnino de Aelio Theone cf. Westermann, Gesch. d. Ber. I. §. 98, 17—20; 106, 1 sqq.

2) Suid. s. *Τιβέριος, φιλόσοφος καὶ σοφιστής. Περὶ ἰδεῶν λόγου βιβλία γ΄. Περὶ παρασκευῆς. Περὶ μεταποιήσεως. Περὶ ἱστορίας. Περὶ λόγου τάξεως καὶ συνθέσεως. Περὶ διαιρέσεως λόγου. Περὶ μεταβολῆς λόγου πολιτικοῦ. Περὶ λόγων ἐπιδεικτικῶν. Περὶ προλαλιῶν καὶ προοιμίων. Περὶ ἐπιχειρημάτων (ἐπιχειρημάτων?). Περὶ Δημοσθένους καὶ Ξενοφῶντος. Περὶ Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου.*

mosthenem[1]), quod adhuc exstat, genera schematum jam accuratissime discernit et lingua habituque a nostro libro quam plurimum distat.

At praeter caussas a nobis prolatas omnium horum scriptorum tenuitas, quae in rebus studiisque minimi momenti versari solebat, prohibet, quominus istorum unum alterumve auctorem putemus fuisse libri περὶ ὕψους. Ergo hac quoque ratione certi quid assequi non licet.

Quare quum neutra viarum illarum eo, quo tendimus, pervenire possimus, ut in re dubia atque incerta nihil amplius dicendum erit. Illud tamen addere volo, mihi quo saepius atque diligentius perscrutatus sim indolem libri, eo verisimilius fuisse, auctoris nomen non casu fortuitoque, sed de consilio ipsius scriptoris non ad nostram usque memoriam pervenisse, auctoremque ipsum commentationem, quae ob liberalitatis libertatisque studium illum, qui scripserat, in discrimen vitae potuit adducere, nomine suo non addito in lucem edidisse. Qua in re egregia de novo occurrit congruentia cum dialogo C. Cornelii Taciti, quem nonnulli additis non levibus caussis abjudicare Tacito aliique cuidam vindicare student, quemque scriptor fortasse eodem modo, quum primum ederet, sine nomine emiserat, ut tali modo capitis periculum evitaret. Quod etsi de neutra commentatione argumentis probari poterit, tamen hoc malo pro conjectura proferre, quam aliorum in modum propter codicis inscriptionem similiaque ejus generis documenta Dionysii aut Longini nomine scriptorem induere. Quae quum ita sint, inscripserim equidem tractatum nostrum aeque ut codex Florentinus: Ἀνωνύμου περὶ ὕψους. Lubente autem animo pauca illa accipienda erunt, quae scriptor ipse de se atque de amico suo, ad quem misit libellum, nobiscum voluit communicare.

Atqui ut de scriptore ordiamur explicare, quod ipse e vita sua suppeditat, sunt haec nec multa nec gravia. Erat autem

1) Cf. Westermann l. l. §. 95, 16; 104, 3 et 12. Walch I, p. 148.

auctor, quod locus sectionis XII. §. 4[1]), quo jam supra pg. 61 contra L. Cassium Longinum uti potuimus, quodque graeca lingua confirmat, homo graecus; in philosophia non uni solum sectae totus adscriptus, sed eclecticus, quem vocant, ita tamen, ut praecepta Platonis quam maxime potuit comprobaret, (cujus rei per totum librum innumera exempla sunt dispersa; cf. supra pg. 62); vir pristina morum sinceritate, atque pravitates hominum ira vehementissima perstringens, qui oratorem voluit ante omnia *virum esse bonum*[2]); litteris graecis pariter ac latinis mire quantum imbutus ingenioque acumine omnia complectens atque dijudicans, neque imperitus artium ceterarum, ab oratoria sua paullo distantium, quod egregia de artificiis musices, pingendi, sculpendi ostendunt judicia[3]). Multa praeter hunc de sublimitate tractatum conscripsit, inter quae ipse mentionem facit sect. VIII, 1 libri saepius a nobis commemorati περὶ Ξενοφῶντος; sect. XXXIX, 1: δύο συντάγματα ὑπὲρ λόγων συνθέσεως, de verborum compositione; praetereaque nonnulla, quorum nomine non adscripsit, ut sect. IX, 2: γέγραφά που καὶ ἑτέρωθι et sect. XXIII, 3: καὶ τὸ Πλατωνικὸν, ὃ καὶ ἑτέρωθι παρατεθείμεθα; omninoque Platoni summum per totam vitam navasse

1) Sect. XII. §. 4. *Οὐ κατ' ἄλλα δέ τινα ἢ ταῦτα, ἐμοὶ δοκεῖ, φίλτατε Τερεντιανὲ, (λέγω δὲ, εἰ καὶ ἡμῖν ὡς Ἕλλησιν ἐφεῖταί τι γινώσκειν,) καὶ ὁ Κικέρων τοῦ Δημοσθένους ἐν τοῖς μεγέθεσι παραλλάττει. Ὁ μὲν γὰρ ἐν ὕψει τὸ πλέον ἀποτόμῳ, ὁ δὲ Κικέρων ἐν χύσει. Καὶ ὁ μὲν ἡμέτερος* (Demosthenes scilicet) *διὰ τὸ μετὰ βίας ἕκαστα ...· ὁ δὲ Κικέρων ... Ἀλλα ταῦτα μὲν ὑμεῖς ἂν ἄμεινον ἐπικρίνοιτε.*

2) Cf. Sect. II. 3; IX, 3: *Πρῶτον οὖν τὸ, ἐξ οὗ γίνεται, προϋποτίθεσθαι πάντως ἀναγκαῖον, ὡς ἔχειν δεῖ τὸν ἀληθῆ ῥήτορα μὴ ταπεινὸν φρόνημα καὶ ἀγεννές. Οὐδὲ γὰρ οἷόν τε, μικρὰ καὶ δουλοπρεπῆ φρονοῦντας καὶ ἐπιτηδεύοντας παρ' ὅλον τὸν βίον, θαυμαστόν τι καὶ τοῦ παντὸς αἰῶνος ἐξενεγκεῖν ἄξιον· μεγάλοι δὲ οἱ λόγοι τούτων κατὰ τὸ εἰκὸς, ὧν ἂν ἐμβριθεῖς ὦσιν αἱ ἔννοιαι.* Cf similia apud Quint. XII, cp. 1: Sit ergo nobis orator, quem instituimus, is, qui a M. Catone definitur, *vir bonus dicendi peritus.* Quint. IV, 2. p. 297. ed. Lugd. Bat.

3) Cf. Sect. XXVIII, 1; XVII, 3; XXII, 2; XXXVI; XLIII, 3.

videtur studium, quod multos criticorum magis magisque in eam sententiam adduxisse videtur, ut librum putarent ab Neoplatonico illo Cassio Longino confectum esse. Atqui sub finem libri se ipsum profitetur velle de affectibus animi librum componere: ἣν δὲ ταῦτα τὰ πάθη, περὶ ὧν ἐν ἰδίῳ προηγουμένως ὑπεσχόμεθα γράψειν ὑπομνήματι; erat igitur, si ex hoc consilio conjecturam facere licet, non tam aetate provectus, quum componeret nostrum περὶ ὕψους librum. Sed haec fere omnia sunt, quae de auctoris vita indoleque ex monimento ipsius colligi poterant quaeque excellentem nobis praestantiae ejus imaginem exhibeant.

Restat, ut de amico Anonymi nostri nonnulla adjiciamus. Posthumius Terentianus, cui dedicatus est liber, genere fuit Romanus, quod nisi nomen ipsum indicet, sect. tamen XII, 4 supra a nobis laudata aperte manifestat; imprimis illud: Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὑμεῖς (i. e. Romani, quum de Graecis antea loqueretur) ἂν ἄμεινον ἐπικρίνοιτε. Se ipsum igitur Graecum Pseudolonginus, Terentianum Romanum profitetur. De nomine autem et gente amici nihil certi in medium proferri potest, Posthumiorum enim gens, reipublicae liberae temporibus amplissima et clarissima, sub imperatoribus memoratur quidem [1]), neque vero Terentiorum aut Terentianorum, sed Nummorum, Vibiorum, Fabiorum, Severorum tantum cognominibus. Cognomen autem Terentiani videtur ex adoptione Terentii profectum esse; at neque de hoc nomine plura invenire licebat, nisi quod apud Martial. I, 86 [2]) Terentianus quidam nominatur, qui tunc tem-

1) Omnino de Posthumiorum genere et de Vibiis Nummisque videas Pauly, Realencykl. s. Posthumius. Fabius Posthumius est apud Plin. Epp. IX, 13, 13: Jam censendi tempus. Dicit Domitius Apollinaris, consul designatus, dicit Fabricius Vejento, *Fabius Postumius*, Vectius Proculus etc. Apud eundem Plin. Epp. X, 6, 1 extat: Proxima infirmitas mea, Domine, obligavit me Postumio Marino medico. — Postumius Severus nominatur ab Ael. Spartian. in Vit. imp. Severi cp. 13 inter viros ab imperatore illo occisos.

2) Martial I, 86: Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Novius potest fenestris.

poris praefectus erat illius partis Aegypti, quae Aethiopiam versus sita, urbem continebat Syenem; et quum Martialis potissimum Domitiano imperante carmina sua pangeret, potuit sine dubio sub illud tempus Terentianus, qui per nostrum librum adolescens apparet, praefectus esse provinciae Aegypti. Quod vero codd. nonnulli exhibent sectione I, 1: Φλωρεντιανὲ pro Τερεντιανὲ ferri non potest propter constantem manuscriptorum lectionem in ceteris locis, ubi legitur Terentiani nomen. Quare omnino nomen nihil in nostrum commodum afferre videtur. Quae praeterea insunt de hoc familiari Pseudolongini, tam exilia tamque pauca sunt, ut satis sit monuisse ea. Memorandum est, Terentianum etiam discipulum videri Anonymi nostri consiliumque habuisse, ut rebus publicis se dederet administrandis; sect. I, 2: εἴ τι δὴ δοκοῦμεν ἀνδράσι πολιτικοῖς τεθεωρηκέναι χρήσιμον, ἐπισκεψώμεθα. Sect. autem eadem §. 4: quum de inventione, dispositione, ordine rerum disputasset: Ταῦτα γὰρ, οἶμαι, pergit, καὶ τὰ παραπλήσια, Τερεντιανὲ ἥδιστε, κἂν αὐτὸς ἐκ πείρας ὑφηγήσαιο. Terentianus igitur non solum rhetoricae arti operam navasse, sed, quantum sub imperatoribus licuit, etiam usu sibi facultatem peritiamque in dicendo parasse videtur; quod scriptor eo quoque affirmat, quod elementa artis omissurum se profitetur, sect. I, §. 3: Γράφων δὲ πρὸς σὲ, φίλτατε, τὸν παιδείας ἐπιστήμονα, σχεδὸν ἀπήλλαγμαι καὶ τοῦ διὰ πλειόνων προϋποτίθεσθαι, ὡς ἀκρότης καὶ ἐξοχή τις λόγων ἐστὶ τὰ ὕψη etc. Sect. XV, 1 allocutio ὦ νεανία invenitur, ex qua concludi debet, adolescentem fuisse Terentianum, quum Pseudolonginus haec scriberet, quod firmatur sectione XLIV. §. 1. ubi Terentiano discendi cupiditas inesse traditur: Ἐκεῖνο μέντοι λοιπὸν ἕνεκα τῆς σῆς χρη-

---

Quis non invideat mihi putetque
Horis omnibus esse me beatum,
Juncto cui liceat frui sodali?
Tam longe est mihi, quam Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenem.

στομαθείας. Fuit sine dubio tanti viri discipulus atque familiaris ipse vir perspecta probitate neque mediocri ingenio praeditus; infimae autem amicitiae nodus conjunxisse eos videtur, si fidem facimus familiari atque sincero erga amicum generi dictionis: ὦ νεανία; ἥδιστε; Τερεντιανὲ Φίλτατε, similia. Sed haec hactenus de Posthumio Terentiano.

Errata.

Pag. 8.	Lin. 3	legas:	illum.
— 9.	— 21.	—	pg. 18 sqq. et pg. 61. sqq.
— 17.	— 20.	—	ἑρμ.
— 25.	Not. 2.	—	pg. 23.
— 28.	Lin. 25.	—	pg. 7 et 8.
— 28.	Not. 1.	—	pag. 8.
— 34.	Lin. 4.	—	pg 18.
— 52.	— 24.	—	pg. 10.
— 55.	— 35.	tollatur parenthesis :	(pg. 59.)

Theses.

I.

In Plin. H. N. XXXV. §. 78. legendum censeo ex cod. Bamb. auctoritate mutataque interpunctione: Clari etiam CVII Olympiade exstitere *Aëtion* et Therimachus. *Aëtionis sunt nobiles picturae Liber pater item Tragoedia et Comoedia; Semiramis ex ancilla regnum apiscens; anus lampadas praeferens et nova nupta verecundia notabilis.*

II.

Aristoph. Av. v. 539 equidem scripserim: ἢν Ἀφροδίτῃ θύῃ κριθὰς ὄρνιθι φαληρίδι θύειν.

III.

Chaerephanes (Plut. aud. poet. p. 18. B.), *Nicophanes* (Plin. H. N. XXXV. §. 111), *Mechopanes* (Plin. XXXV. §. 137) corrupta nomina sunt ejusdem pictoris *Nicophanis.*

IV.

Urbs Croton colonia Achaeorum, non Dorum erat.

V.

Dialogus de caussis corruptae eloquentiae a Tacito scriptus, verum sine nomine auctoris in publicum editus est.

VI.

Alcibiades optimus civis reipublicae Atheniensium habendus est.

VII.

Aristophanes in Avibus non allegoriam expeditionis Siciliensis consiliorumque Alcibiadis, sed omnino comicam praeclaramque imaginem tantae dissolutionis omnium rerum exprimere voluit, quanta eo tempore civitas Atheniensium implicita erat.